solus recordatus sum veridicos versus Ambrosij tui: Tu es enim Deus creator omnium, Poliqué rector, vestiens diem decoro lumine, Noctem soporis gratia, Artus solutos, vt quies reddat laboris vsui: Mentesque fessas alleuet, Luctusque soluat anxios. Atque inde paulatim reducebam in pristinum sensum ancillam tuam, conuersationemque eius piam in te & sanctam, in nos blandam atque morigeram, qua subitò destitutus sum, & libuit flere in conspectu tuo de illa, & pro illa, de me, & pro me. Et dimisi lachrymas, quas continebam, vt effluerent quantum vellent, substernens eas cordi meo: & requieuit in eis, quoniam ibi erant aures tuæ, non cuiusquam hominis superbè interpretantis ploratum meum. Et nunc Domine confiteor tibi in literis. Legat qui volet, & interpretetur vt volet: & si peccatum inuenerit, fleuisse me matrem exigua parte horæ, matrem oculis meis interim mortuam, quæ me multos annos fleuerat, vt oculis tuis viuerem, non irrideat, sed potiùs, si est grandi charitate, pro peccatis meis fleat ipse ad te pater omnium fratrum Christi tui. Ex Hymno Ambrosiano versus.

XIV. Ego autem iam sanato corde ab illo vulnere, in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi Deus noster pro illa famula tua longè aliud lachrymarum genus, quod manat de concusso spiritu consideratione periculorum omnis animæ, quæ in Adam moritur. Quanquam illa in Christo viuificata, etiam nondum carne resoluta, sic vixerit, vt laudetur nomen tuum in fide moribusque eius: non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerâsti, nullum verbum exisse ex ore eius contra præceptum tuum. Et dictum est à veritate filio tuo: Si quis dixerit fratri suo, fatue, reus eris gehennæ ignis. Et væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia verò non exquiris delicta vehementer, fiducialiter speramus aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ. Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat, nisi munera tua? O si cognoscant se omnes homines, & qui gloriantur, in Domino glorientur. Ego itaque, laus mea & vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te: exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis: dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquam salutis. Dimitte Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in iudicium. Superexaltet misericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus. Quod vt essent, tu dedisti eis, qui misereberis, cui misertus eris: & misericordiam tuam præstabis, cui misericors fueris. Et credo iam feceris, quod te rogo: sed voluntaria oris mei approba Domine. Namque illa, imminente die resolutionis suæ, non cogitauit suum corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulchrum patrium. Non ista mandauit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat, vnde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis, quo triumphatus est hostis, computans delicta nostra, & quærens quid obiiciat, & nihil inueniens in illo, in quo vicimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet pretium, quo nos emit, vt nos auferret ei? Ad cuius pretij nostri sacramentum, ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei. Nemo à protectione tua dirumpat eam. Non se interponat nec vi, nec insidijs leo & draco: neque enim respondebit illa nihil se debere, ne conuincatur & obtineatur ab accusatore callido: sed respondebit dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet, quod pro nobis non debens reddidit. Sit ergò in pace cum viro, ante quem nulli, & post quem nulli nupta est, cui seruiuit, fructum tibi afferens cum tolerantia, vt eum quoque lucraretur. Et inspira Domine Deus meus, inspira seruis tuis, fratribus meis, filiis tuis, dominis meis, quibus & voce, & corde, & literis seruio, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam, quemadmodum nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, & fratrum meorum sub te patre in matre catholica, & ciuium meorum in æterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui ab exitu vsque ad reditum, vt quod à me illa poposcit extremum, vberiùs ei præstetur in multorum orationibus, tam per confessiones, quàm per orationes meas.

Cap. 13. 1. Cor. 15. Nota timorem etiam sanctorum hominum. Matt. 5. Merita nostra Dei dona. 2 Cor. 10. Rom. 8. Matth. 6. Psal. 142. Matth. 5. Rom 9. Exod 33. Missæ quotidianæ. Colos. 2. Vult in Missa S. Augustinus orari pro parentibus suis.

VITA BEATISSIMI PATRIS GODEHARDI HILDENESHEMENSIS ECCLESIÆ ANTISTITIS, CONFESSORISQVE, SANCTIMONIA, VIRTUTUM HONESTATE, AC MIRACULIS OMNIGENIS CLARISSIMI. SCRIPTA AB ARNOLDO IPSI SANCTO FAMILIARI, NOVITER AD MS. COLLATO, PER REVEREND. PATREM CHRISTOPHORUM BROWVERUM, SOCIETATIS IESU.

AN. 1020.

PROLOG. SVMMÆ reuerentiæ decore venerando Domino meo, & Magistro Menghardo, toto semper deuotionis studio colendo Arnoldus spiritu & corpore modicus, quicquid pro plurali subiectionis debito iure proprius, Historiam de vita & institutione beatæ memoriæ Patris ac Pastoris nostri Godehardi Episcopi scripturus, inter spem & metum anxius diù multumque deliberando dubitaui; quia me ad eam arduum ac præclarum opus imparem, minusque idoneum, non ignoraui. Nam, quantum spe & delectatione virtutum, quas per illum Dominus ostendit, delectatus aduocabar, tantum multiplici propriæ negligentiæ conscientia & metu territus, retrahebar; donec tandem præceptorum ac fratrum, maximeque beati viri & veri DEI cultoris Athelberti Abbatis nostri iussis, partim sponte, partim inuitus, obediens tale fastigium attingere tentaui; tuæque clementiæ, O Præceptor nobilis, secretius offerendum æstimaui; apud quem & pro erratis facilis locus esset veniæ, & pro demendis vel addendis, promptior, & non suspecta benignitas cautelæ; vel saltem indiffamata celeritas taciturnitatis æternæ. Nec etiam, Pater venerabilis, aut dedignando mireris, aut admirando dedigneris, quod tu solus ex generali Pontificum, Abbatum, ac Doctorum Collegio, quasi ad meæ nugacitatis inspectionem specialiter eligaris. Cùm & hoc prudens prædicti monitoris, & impulsoris mea industria prouiderit; maximè, quia tibi pro fidei & dilectionis tuæ merito, eiusdem Patris nostri vita, & ante & post Pontificalem promotionem, præ cæteris semper claruit. Et quia ipse tibi secretius, ac familiarius, exemplo CHRISTI ac Discipuli, quem diligebat, cordis sui arcana, præ cunctis aperuit. Ideoque & me, vt prædixi, imparem, minusque idoneum ad idem opus præsertim impulit, quod per adolescentiæ meæ tempora inter Heruueldense & Altahense cœnobium, quasi Orosij more, discursitauerim, & primæua eius gesta, à CHRISTI fidelibus & frequenter audierim, & etiam pro parua adhuc ingenioli capacitate libenter retinuerim. Dominum ergò, qui secreta cordium intuendo rimatur, testor, me nihil in eius memoriæ laude descripturum, nisi quod aut ipse & vidi & audiui, aut à verè veridicis, & etiam probatis agnoui. Maximè tamen cum Altaha studij causa exularem, cuiusdam veterani presbyteri Reignoldi nomine, quem & tu melius noueras, familiaritate & colloquio

4. MAII. Arnold. vitæ scriptor. Scriptor Hersfeldensis & Altahensis Cœnobii incola, vel adnena. Scriptoris fides.

quio sæpius vtebar, & si dominus * quandoque dignaretur, eius veriloqua relatione ad hoc ipsum instituebar; qui certè ei ab ipsa infantia fideli ministerio semper adhærebat, eumque sacræ eruditionis literam primus instruebat; & omnia eius dicta & facta vsque ad Monachicam professionem, & etiam ad Pontificalem promotionem, ipse melius nouerat. Sed, & ego solito priscæ obedientiæ more, sed quid forte vel aptum vel ineptum compilare quiuerim, primò sagacitati tuæ meritò offerendum decreui; vt certè per te errata corrigantur, hiantia suppleantur, superflua diminuantur, necessaria supponantur, &, vbi vbi deuiauerim, quod fateor facilè fit, stoliditas mea veniam consequatur, quæ & contra insultantium irrisionem auctoritatis tantæ defensione muniatur. Cùm tamen, Domino teste, pro hoc minimè mouear, si quis me talium elatus irriserit, vel inurbanum quiequam conflasse, verbosius obiecerit, vt tantum studiosis & Deum timentibus simplicem veritatis sententiam construxerim; & his, si fortè Spiritus Domini inspiratione annuente, post hoc, dum liuor inuidiæ nubila prætendens, occiderit, prædicti Antistitis actus & vitam condigna reuerentia condecorare nouerint & voluerint, rerum & temporum certum ordinem depinxerim. More siquidem sagacioris canis, qui annuente venatore, vel nutu vel signo emissus, tota die indefinenter, & quasi infatigabiliter laborat, non vt sibi solummodo, quod nec præsumit, prædam arripiat, sed, vt iubentis Domini ludicram voluntatem perficiat, rarum scilicet & insolitum quiddam capiendo, vnde non solum dominus cum suis domesticis festiuius lætetur, sed & superuenturis fortè amicis lautioris cœnæ iocunditas reseruetur. Huius, inquam, more me libenter laborare profiteor; non vt mihi laudem, quam in hoc non mereor nec dignor, acquiram; sed vt vel modernis, vel posteris, sicut prædixi, æternam iusti memoriam, quamuis indocili taxatione proponam. Quare ergò erubescam me canibus, qui certè maiorem & excellentiorem inter bruta animalia, dono puto Creatoris, intellectum habent, assimulari, cùm nec Euangelica illa Cananæa erubuerit, immò & gauisa sit, se à Domino canibus comparari, nec etiam Lazarus spretus à diuite horruerit, his lingentibus, consolari? Nam quantum brutis excellentiores, tantum rationabilibus sunt propinquiores. Nec saltem super hoc fidelium quisque moueatur, quod à prædictis illusoribus fatuitati meæ obiicitur, non decere tam præclari ac insignis viri quasi intimam genealogiam diffamare, sed magis, vt ipsi putant, in laudem eius silendo celare, cum quilibet sanum sapientes, non adeò attendant vanam generositatis iactantiam, quam vtiliorem diuinæ inspirationis prærogatiuam, quibus certè nemo nobilis videtur, nisi quem virtus nobilitare probatur, cum scriptum sit, Vbi spiritus Domini, ibi libertas. Et Propheta dicit: Dominus pauperem facit & ditat, suscitat de puluere egenum, & de stercore erigit pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Quod in illo veraciter impletum esse, tota sancta Ecclesia teste, describimus, quia eum per vias à Domino deductum rectas, & in conspectu Regum magnificatum, cum principibus gloriosè consedisse, & inter principes sapientiam locutum esse, & solium gloriæ feliciter tenuisse vidimus. Vnde & à nullo fidelium dubitatur, quod modo in sanctorum ordine Sacerdotum coram Christo proculdubio lætatur. Si ergò iam friuola loquacitatis meæ sententia vltra licitum vel placitum sermocinando processit, quod certè timiditas, omnia etiam tuta timens effecit, tu Pater & Doctor egregie, qui hoc non solum prædicti Præsulis memoriæ, sed & nostræ imperitiæ & debere crederis, & velle; tu, inquam, in quo est & approbandi peritia, & improbandi potentia, quorumlibet oblocutione contempta, sapienter prouideas, vt & inepta & inutilia, æterna taciturnitate sepeliantur, & profutura, Domino donante, sine adulationis fuco proferantur. Quia, si quid à vero dissidet, non meæ imperitiæ, sed tuæ imputatur incuriæ. Sed, si fortè quid aptius erit, non mea, sed tua pars erit, vt quidam se humilians ait. Sed quid ab ore placet, laus monitoris erit.

* Deus. S Godehardi Magister Altahæ.

Matth. 15. Luca 16.

Non debuisse fileri S. Godehardi obscuritatē natalium.

Nobilitas vera ex virtute.

Sap 10.

1. Cor. 6. 3. Reg. 2.

QVIA Euangelica veritatis voce præcipitur, vt lucerna accensa non sub modio, sed super candelabrum ad illuminationem fidelium constituatur; & quia secreta regum celari iubentur: opera vero Dei reuelanda & magnificanda, iure panduntur, ideò dignum & etiam gloriosum putauimus, Vitam beati, & * venerandi Patris nostri Godehardi Episcopi, quantum diuina clementia donauerit, in exemplum modernis & posteris proponere; & gestorum eius probabile magisterium dominum timentibus exponere. Verum * etiam metuimus, nos culpa negligentiæ non carere, si patiamur ea, quæ ab eo laudabilia & vidimus & audiuimus, sub silentio latere. Quem ergò Baioaria olim ab initio verbi Domini vomere exculta, & sacræ fidei semine sufficienter fœcundata, verum religionis eruditorem nobis, quibus opus erat medicus, concedente Christo transmisit, nos Saxones vel certè Saxigenæ, &, vt vera (proh dolor) nobis insultationis irrisione obijcitur, verbo Domini diu indomabiles, periculo non caremus, si eius gloriam, domestica desidia obdurante, silendo negligamus. LIB. I.

Matth. 5. Tob 12. * venerabilis. * verè.

IGITVR septingentesimo quadragesimo primo Incarnationis Domini anno, quo Carolus primus, filius Pippini primi, filij Anchili, filij Arnolphi, ex hac vita demigrans, filijs suis Carolomanno & Pippino regnum reliquit, quo etiam sequenti anno iste Pippinus Carolum Magnum genuit, initium Altahensis monasterij à Christi cultoribus sapienter inceptum, & in religiosa monachica institutione feliciter est perfectum, quindecim fere annis ante distributionem Episcopiorum, quæ post annum in Baioaria à sancto Bonifacio Archiepiscopo facta est, ex decreto Zachariæ Papæ, & consensu Pipini regis; cui ante tunc temporis triennium, frater Carolomannus Romæ tonsuratus, & monachizatus, hæreditariam partem regni & proprietatis dimisit; quando Willibaldo Eichstadensis, Ioanni Salisburgensis, Eremberto Frisingensis, Garibaldo Ratisbonensis Ecclesia commendatur, & Christiana ibidem religio dignè domino corroboratur. In prædicto certè cœnobio seruimen Christi ab initio feliciter succreuit, & per centenos fere annos, in monachico proposito laudabiliter profecit, vsque in detestabilem illam dissensionem, quæ cœpit inter Ludouicum Imperatorem filium Caroli Magni, & filios eius Ludouicum, Lotharium, & Carolum, ac deinde, Imperatore defuncto, inter fratres ipsos per multos annos, vt chronica testantur, permansit. In ea ergò tempestate Ecclesiæ plures dispoliabantur, cœnobia disturbabantur, inter quæ & eiusdem Altahensis Ecclesiæ proprietas ibidem à fidelibus collata, & eotenus inconuulsa diripiebatur: & huic sceleri militantibus iuxta debacchantium voluntatem beneficij, imò maleficij causa, diuidebatur. Hac enim necessitate monachica ibidem norma defecit, sub regula tamē Canonicorum idem locus vsque in tempora pię memorię Henrici ducis, quem postea Imperatorem vidimus, item per centum annos perstitit. Quod & Otto pius Rex filius Regis Henrici Saxonici sæpius decreuit, in aliquibus locis redintegrare, sed plurali infortunio obstante, maximè tamen fratris sui Henrici ducis Baioarici machinatione præpediente, non potuit perficere. Qui certè sibi in prima regali ordinatione, in præsentia principum ac patris, quasi iocularia indignatione se nobiliorem iactans restitit; & in eadem vana voluntate semper contra fratrem regem priuatim & subdolè contra filium regis Ludolphum, vt Baioariæ adhuc testatur, publicè perstitit. I.

Altahensis monasterii origo.

Altahensis Monasterii inclinatio.

A canonicis occupatur.

Hēric* Dux Baioariæ fr. Ottonis magni.

PRÆCLARÆ igitur indolis puer Godehardus nomine iuxta Altahense monasterium ex eiusdem Ecclesiæ familia in villa Ritenbach diœcesis Patauiensis, à verè Christianis pijs & honestis parentibus feliciter natus est, & enutritus. Studijs literarum adhuc infantulus contra intentionem quodammodo parentum suorum se tradidit. Erant scholæ, quas visitauit, prope monasterium Altach trans flumen Danubium. Cùm autem mane surgens sanctus puer, gratia visitandi scholas veniret prope Danubium, quod pons ibi non erat, vt posset fluuium pertransire, Deo dante, vadēs ad scho- II.

Danubium occulto ductore trāsit.

ad scholas, aut inde rediens, quendam reperit, qui sibi per flumen continuum & sanum præbuit conductum. In eodem Monasterio puer prædictus fideliter à parentibus oblatus, à fratribus deuotè susceptus, literalis scientiæ haustum, Domino tribuente laudabiliter imbibit, & diuinæ legis notitiam pro parulo adhuc ætatis ingeniolo libenter accepit, iuxta quod dicitur, Facillimè discitur, vbi Spiritus Dei doctor adest. Cœpit namque sanctus puer in primæuo ætatis seu iuuentutis suæ flore, vanitates declinare, atque leuitates euitare, magis eligens iugum legis Dei subire, & virtutum tramites adire, quam vanitatibus huius mundi, vt illa semper assolet ætas: cœpitque de bono in melius, de meliori in optimum non segniter se transferre. Ob hoc semper terebat Ecclesiæ limina, vt ibidem hauriret sacræ legis flumina, vt exinde mentem suam inebriaret fitibundam. Aderat ei Dei timor ipsum ab omni retrahens lasciuia puerili. Sic igitur se omnibus exhibuit, vt organum quoddam Spiritus sancti esse, verissimè appareret. Vnde & factum est, vt in habitu seculari, quo inter religiosos manebat, multos de religiosis in vitæ sanctitate pelliceret euidenter.

[a] A parentib[us] offertur monasterio.

S. Godehardi innocua & pia puericia.

III. Cvm autem bonam, moribusque honestis huiusmodi vitam laudabilem in dicto monasterio Altach per aliquot annos peregisset, & adolescentiæ annos attigisset, & vitæ sanctæ fama per totam Bauariam se dilatâsset, eo tempore beatus vir Christianus Patauiæ Episcopus idem monasterium beneficij causa gubernauit, tempore Ducis Henrici prioris. Et fratres ibi in diuino seruimine coadunati, postquam eiusdem pueri laudabilem in timore Domini indolem cognouerunt, eum notitiæ Pontificis intimauerunt. Quo ille audito,[a] vt certè erat prudentissimus, Deo gratias retulit, illumque inde adductum, in suam familiaritatem assumpsit, & cubicularium suum fecit. Quem, vbi de virtute in virtutem, gratia Christi prouehente, scandere cognouit, amplius eum pro collata diuinitus industria gratulans amauit, ac [b] Cancellariæ officium eidem commisit: in quo officio talem se exhibuit, vt diuinæ organum sapientiæ se omnibus exhiberet. Sic per triennium secum per diuersa expeditionum, cæterorumque commeatuum difficiliora itinera quasi prætentandi gratia circumuexit, & sacræ fidei & religionis Catechismo deuotius instruxit. Timuit autem sanctus iuuenis Godehardus, ne quid in tantis, quibus præpeditus erat negotijs, vanum illaberetur animo. Ideò à dicto Domino Patauiensi recedendi petita licentia, & vix obtenta, is eum eidem cœnobio fratribus illum in supplementum diuinæ seruitutis obnixè repetentibus, [c] Subdiaconij gradu decoratum remisit. Qui ibidem in sanctæ conuersationis studio de die in diem per adolescentiæ tempus sagacius inuigilans, communi etiam fratrum commodo, & vtilitati deuotius intendens, maiores scilicet iuxta Apostolum honore præueniendo, coæuos iustis exemplis adhortando, subiectos sacris sæpius monitis ad meliora solicitando, & ita diuina clementia comitante, in breui veræ religionis disciplinam ad integrum consecutus, [d] Diaconij quoque honore sublimatus, eidem monasterio, vt verè post patuit, Deo prædestinante Præpositus est constitutus.

Rom. 12

Altaha Monasterium Ducis beneficium.

[a] S. Godhar. Christiano Episc. Patauiensi à cubiculo, & à manu.

[b] Cancellariæ seu scripturarum officium obtinet.

[c] Subdiaconus è curia Episcopi remittitur ad suos.

[d] Diaconus fit & Præpositus Altahæ.

IV. Anno deinde post partum virginis DCCCCLXXXVIII. Ottone Imperatore secundo; post periculossimum, & etiam infelicissimum Calabriæ bellum, adhuc per orbem terræ clade & infamia notissimum ex hac vita sublato, & Romæ cum summo totius Christianismi mœrore, satis tamen honorificè sepulto, certè post inconsideratam Merseburgensis Episcopatus destructionem, & post innocentem, iuxta vocem populi, [e] Geronis comitis necem, prædictus [f] Henricus Baioariæ Dux Pater Henrici Imperatoris, ab Imperatore patruele certè suo, ante septennium ob infidelitatem & tyrannidem, quam contra eum paterno more exercuit, ab honore summotus, tũc occasione iustitiæ in spem regnandi arrogantiæ furore in cassum elatus, herilem filium dignum Dei ordinatione regni hæredem opprimere, semetque in monarchiam regni, suadente seductore, conatur erigere. Cuius tamen nugalis machinatio à primoribus regni, Deum sanè timentibus, & maximè à [g] Willegiso Metropolitano Moguntiaco, & [h] Bernardo duce Saxonico pacificè sedatur, eique post multa apta & inepta, quæ modo melius silentur, quia in Chronicis plenius continentur, priscus ducatus redonatur. In proximo autem Natalis Domini die, Otto III. puer coronam regni à prænominato Metropolitano honorificè * percepit; & in omni Ecclesiastica perfectione feliciter more auito crescere cœpit. Cuius quidem laudabilis industriæ initiale fuit indicium, quod [i] septimo suæ ordinationis anno sæpè dictum Altahense monasterium Episcoporum consilio, auxiliante demum duce præfato in pristinum monachicæ religionis reformari fecit statum. Quidam igitur venerabilis vir [k] Erkanbertus nomine, illic Abbas præponitur, per quem, auxiliante Domino, diuinum ibi Ministerium, iuxta Regulam sancti Benedicti, religiosè disponitur, ad cuius statim salubertimam admonitionem, promptæ obedientiæ iuuenis [l] Godehardus, corde & animo à sæculi vanitate conuersus, cum aliquantis eiusdem loci Fratribus, Monachus est factus, anno, vt ipse nobis sæpius intimauit, ætatis suæ XXXI. Pluribus tamen postmodum ex eodem Cœnobio, vt non ignotum memoriæ, Fratribus digredientibus, inter quos erat quidam [m] Thetmarus, quem postea Mindensis Ecclesiæ Episcopum vidimus. Sed nouellus [n] nouæ religionis tyro adoptatus melioris vitæ tyrocinio, vt in priori proposito solebat, toto cordis ac mentis affectu ad cœlestis aulæ limen anhelabat, adeò vt nouus Præceptor nouo auditori, quod certè in talibus insolitum est, considerata eius probabilitate, omnem diuini ouilis curam post se penitus commendaret, eumque sibi in spiritualis exercitus filiationem singulariter præoptaret. Erat enim charitate feruidus, in labore strenuus, in oratione deuotus, meditatione profundus, contemplatione suspensus, corpore honestus, corde mundus, sibi rigidus, defectibus aliorum compatiens, humilitate præcipuus, in paupertate lætus, & in vera nitidus castitate. Qui tamen prædictus Abbas post triennium, vel causa infirmitatis, vel tædio curæ secularis, idem regimen reliquit, & ad secretioris vitæ solitudinem in conspectu interni arbitri vacare decreuit.

Mersburgensis Episcopatus abolitio.

[e] Geronis Comitis mors.

[f] Henricus Baioariæ Dux, pater Henrici Imperatoris regnum affectat post Ottonem II.

[g] Willegisus Archiepiscop Moguntiæ.

[h] Bernard[us] Saxoniæ Dux ꝓ Ottone III.

* *Suscepit.*

[i] VII. anno Ottonis III. restituitur Altaha.

[k] Erkabert. fit Abbas.

[l] Sanctus Godehardus ex Clero fit Monachus sancti Benedicti, Anno 990. [m] Thetmarus Mindensis Episcopus. [n] S. Godehardus ob vitæ perfectionem ex tyrone deligitur Abbati Magister.

V. His etiam diebus præmemoratus [o] Baioariæ Dux obijt, cuius loco pius [p] Henricus filius eius surrexit, non patris insolentiam, sed initium sapientiæ timorem Domini pleniter secutus; quia erat omni literarum studio principaliter imbutus, & totus sane fide & actu Catholicus. Qui statim ad diuini famulaminis cultum succeosus, prænotatum Cœnobium iterum spirituali priuari Pastore, indoluit, & eundem [q] Godehardum tunc Presbyterum, Abbatem ibi præponere voluit: cui ille per biennium iusta satis excusatione restitit; quia sedem & locum Pastoris sui, ipso superstite, vsurpare non debuit. Sed postquam [r] Abbas à Fratribus, & etiam ab Episcopis vocatus reuenire recusauit, eisque licentiam, quem in locum eius vellent substituere, mandauit, tandem Episcopali authoritate, & Fratrum vnanimitate victus, idem regimen iuxta Ducis decretum suscepit. Qui statim in [s] exordio suæ promotionis totum se Christo vigilanter mancipauit, & districtiorem regularis vitæ tramitem, cum consociatis sibi Fratribus ingredi, anxiè curauit, & in tali studio se ibidem per octo annos indesinenter exercuit. Et præter hoc tamen manuali labore multiplicem fructum, ac necessariam vtilitatem acquisiuit. Qui, & ibi in monte quodam, qui [t] Helingerisberg dicitur, Castellum firmum, & in eo Ecclesiam pulcherrimam in honorem sanctę Matris Christi Mariæ, in cuius speciale seruimen futurus erat, cum condecenti ædificio construxit, & circumquaque, maximè tamen in saltu Boëmico, qui eidem Prouinciæ [u] proximè astat, ad triginta & eo amplius mansos labore tantum manuum cum Fratribus, Apostolico exemplo siluis & insistit.

* Henricus Baiorũ Dux obiit anno 995.

[p] S. Henrici filii Baiorũ Ducis laus.

[q] S. Godehardus biennio recusat Abbatis dignitatem

[r] Fit Abbas anno 997.

[s] Disciplinę strictiori

[t] Helingeresberg Castellum & Ecclesiam exstruit. [u] Noualia sibi manu parat.

ſiluis & vepribus erutis, ad vſum vtilitatis informauit. Interim MII. Incarnationis Dominiano, nobilis Imperator Otto tertius ex vita hac immatura morte diſceſſit, in cuius regnum prædictus Henricus Dux omni pietate perſpicuus ſucceſſit.

Hersfeldēſium Monachorum laxitas.

Bertholdus Abbas à ſuis accuſatur.

Henrici Regis pij ſapiens cū Hersfeldenſibus diſſimulatio.

Willegiſus Archiepiſc. S. Godehardum introducit in Hersfeld. Abbatiam.

Recuſantes diſciplinam complures ſecedunt.

Ædificia ad monaſticā aptantur.

ERAT in illo tempore in Heruelden ſi Monaſterio ſancti Wigberti Bertholdus Abbas venerabilis genere & dignitate memorabilis; qui tamen, vt in pace dicatur, vltra ſui propoſiti ordinem humano more popularis famæ laudi intentus, eiuſdem Cœnobij Fratres, fortè aliquanto debita conuerſatione fouit indulgentius, ita vt more Canonicorum proprietates ſibi tam in priuatis ædificijs, quàm & in equis & cultoribus quoque plurimis veſtimentis, à cæteris mundanæ gloriæ pompis vindicarent; & licentiam quoque dandi & accipiendi, cum illicitis ac ſuperfluis conuiuijs, cæteriſque talibus vſurparent. Quo ſcilicet Abbate biennio ante finem ſui ægrotante, & vltra Fuldam flumen in monte, quo ipſe Monaſterium in honorem ſancti Petri Apoſtoli conſtruxit, cum Militibus ac cæteris ſibi familiaribus refrigerij lenitate commorante, fratres indignatione permoti, & quaſi à Patre cōtempti, ad Regem tam per ſemetipſos, quam & per literas ac legatos ſæpius diuerſas querimonias dirigunt, ſibi victus & veſtitus neceſſaria denegari, & illis cum cæteris Chriſti pauperibus eſurientibus, res Eccleſiaſticas per vana & inutilia prorſus diſſipari. Quam eorum querimoniam Rex ſapiens altius, quam ipſi opinarentur, intelligens, ſed & vitam illorum non neſciens, diutius diſſimulando diſtulit. Sed ad poſtremum importunitate eorum deuictus, modificato ſermone reſpondit; libenter ſe Patrem eorum, ſi Dei dono conualuerit, de talibus admoniturum; ſin verò obierit, eis & ſibi in præponendo Paſtore in diuinis & humanis, ſapientum conſilio, iuxta timorem Domini prouiſurum. At memorato Abbate paulò pòſt defuncto, prædictum Godehardum eis Patrem Gubernatoremque Epiſcoporum conſilio præpoſuit, quem etiam, vt in omnibus eis iuxta Domini timorem & monachicam vitam prouideret, ſolerter præmonuit. Qui illuc per Willegiſum Archiepiſcopum perductus, & per eum etiam, ſicut Deo gratias, optimè nouerat, ad benefaciendum ſapienter inſtructus, in primo aduentu gratias diuinæ pietati referens, eiuſque directionem in præteritis, præſentibus & futuris ſolicitè quærens, primitijs eis iuxta regulare præceptum, duriora & aſpera mandata propoſuit, & licentiam eis ad preces Metropolitani, aut ſecum hæc celebrandi, aut quo vellent diſcedendi, contribuit. Qui ſtatim vnanimiter conſpirati, ſimul omnes, paucis tantum ſenioribus, vel puerulis remanentibus egreſſi, per diuerſa loca variè ſunt diſperſi. Quos tamen poſtea ſaniori conſilio, & eorundem, qui remanſerant certè induſtriam eius, ac manſuetudinem intelligentium auxilio, quoſdam citius, quoſdam verò ſerius penè omnes ad ouile reuocauit, eoſque ſub leui iugo Chriſti facilè Domino gubernante coadunauit. Ciuitatem verò ipſam, & clauſtrales cohabitationes, à ſuperfluis & ineptis pluribus ædificijs ilicò purgauit, & in condignam monachicæ neceſſitatis habitudinem honeſtè reformauit. Et, cum inibi inuentis & aliunde acquiſitis Fratribus in eodem Cœnobio per [a] ſeptem annos dignè Deo & hominibus laudabiliter miniſtrauit. Commendata ſunt ei & alia duo Monaſteria, [b] * Tegerenſe, & Chremſenſe, quæ pari quoque diligentia in Chriſti ſeruimine gubernauit.

[a] Septē annis præeſt.

[b] Tegerenſe & Chremſenſe Monaſteria Bauariæ ei commendantur. * *aliàs Degerenſe & Chremenſe.* Hoc vulgo Chrems Mānſter.

VI.

Guntherus nobilis hæreditatem ſuam offert monaſterio Hersfeldēſi.

[c] Gellinge Monaſterū ambit.

[d] Ad Altahā mittitur.

[e] Romam petit.

Monachū induit.

Gellinge præpropere adminiſtrat.

Fluctuat in peritus.

2. *Tim.* 4.

Obiurgatur grauiter à S. Godehardo.

In Altahēſi monaſterio reſipiſcit & proficit.

HISDEM temporibus fuit in Thuringiæ partibus quidam vir nobilis, dignitate & meritis illuſtris, nomine Guntherus, qui pro delictis iuuentutis ingemiſcens, & conſiderata diligentius actuum ſuorum qualitate, faciem Domini in confeſſione præueniens, ſed propriæ diffidens imbecillitati corporis & animi Heruelldiam ad nouum Abbatem, dignè, vt poſtea patuit, pœnitendo acceſſit, eique omne ſecretum cordis ac voluntatis ſuæ, funditus aperuit. Quem Abbas iuſtè in Deo timoratus, blandâ conſolatione, & condigna etiam prouiſione pœnitentem ſuſcepit; & ad Monachicam vſque profeſſionem ſaluberrima ſui commonitione, Domino cooperante, conuertit; qui ſtatim ad penitus abdicanda quæcunque ſunt ſæculi, omnem etiam multiplicem ſuæ hæreditatis proprietatem, quam acceperat à progenitoribus, Eccleſiæ ſancti Wigberti in vſum Chriſto famulantium cum conſenſu hæredum ſuorum, firma traditione delegauit, ac ſemetipſum ibidem in regularem perſeuerantiam, ſpontanea promiſſione, mancipauit: primitus tamen teſtamento pactus, vt Monachus factus, monaſterium, quod [c] Gellinge dicitur, victus & veſtitus gratia ipſe poſſideret, ac fratribus illic Chriſto ſeruientibus, ſecum inde neceſſaria prouideret. Sed Abbas prudenti pertractans conſilio, homini nouiter conuerſo talem pactionem in via mandatorum Dei maximo futuram eſſe periculo, & plus inde per dies animæ naſci diſpendium, quam corporis, vt putabat ſubſidium, interim illum prouida mente ab incepto ſuſpendit, & laico habitu adhuc vſum ad [d] Altahenſe monaſterium ſecum perduxit. Ibidem prædictus vir cordetenus compunctus, petijt ab Abbate, vt ante profeſſionem, liceret ſibi [e] Romam petere, & Apoſtolorum Chriſti, aliorumq; Sanctorum interceſſionem pro tranſactæ vitæ deuijs, & pro nouæ vitæ ingreſſu quærere, quo permittente it & redit. Tandemque ante altare ſanctæ Mariæ cingulum deponens, caput & barbam totondit; & facta, de more, petitione ſuſceptus, ac aliquandiu regulariter probatus, ab eodem Paſtore monaſticæ vitæ habitum eſt adeptus. Verum, poſt votum profeſſionis, non immemor ſuæ, quam præſcripſimus, pactionis, adiens Abbatem, licentiam petijt patriam repetendi, & locum, quem pepigerat, iuxta conditum incolendi: quod pius pater interim conſenſit, nolens eum obſtinata contradictione ab affectu, quamuis iniquo, prohibere; donec ratione dictante, inclita cupientem animum, paulatim poſſet mitigare. Venienti ergò ad locum, Gellinge dictum, & diſponenti neceſſitates ibidem commanentium, ex occultis tentatoris inſidijs; Domino, vt certè credimus, ad exemplum beati Iob, permittente multa & varia ei occurrerunt incommoda, pro quibus dum ipſe ſcilicet ante, paupertatis ac laboris inſolens, ad Abbatem ſæpius quærendo confugeret, eiuſque pro talibus conſilium & auxilium anxiè perquireret, ſolicitus pater fluctuationem mentis eius profundè perſpiciens, & ſubſecuturam fortè cordis mutabilitatem vehementer pertimeſcens, blanda interdum conſolatione, & ſuauiloqua commonitione mœſtitiam eius mitigans, interdum verò iuxta Apoſtolum, arguendo, obſecrando, increpando, opportunè importunè nutantem eius animum caſtigans, ad viam ſalutis eum reducere ſtuduit; quod tamen adhuc modicum profecit. Sed cum in hâc altercatione ſæpius luctarentur, & in huiuſmodi moleſtia ambo crebrius fatigarentur, illi iterum quadam die ſuæ ſolicitudinis querelam ſuggerenti, vir Dei debito iuſtitiæ zelo permotus, turgente, vt aiunt, pulmone reſpondit, vt aut in promiſſa obedientiæ ſtabilitate Deo deuotius ſeruiret, aut certè ad ſolitam ſæculi vanitatem laqueis iterum Satanæ irretitus, abiecto habitu rediret, ad quam vocem ſtupefactus auditor intremuit, & erroris ſui nimietatem ſerò tandē perhorreſcens, ingemuit, omni prædicta pactione cordetenus oblita; & tota cuiuſcunque incommodi querimonia abolita, ad Altahenſe monaſterium, vbi tunc ſub eiuſdem Patris cura (vt in gratia omnium loquar) ſingulare diuini cultus ſtudium feruebat, ſe contulit, & illic fratribus humillimè ſubiectus, & in ſacræ religionis diſtrictione pleniter in breuiori tempore diuini roris infuſione inſtructus, vltra regulare præceptum ſemetetiam, Prælatis admirantibus, afflixit.

VII.

Guntheri victus potuſque.

TERTIO namque ſuæ conuerſionis anno in prædicto Bohemico ſaltu eremum petijt, in qua ad XXXVII. annos in ſtudio ſanctæ religionis, & in ſumma veraciter diſtrictione ſpontaneæ paupertatis cum ſibi commanentibus vixit. Annona denique eorum erat varia: vario certè ſtudio à Rege Vngarico, & de Bohemis & Polonis, & cæteris diuerſis prouinciis, ſimul cum veſtitu conquiſita. De potu, vt omnibus notum eſt, nihil prorſus ibi, niſi ſola aqua habebatur; & ipſa, etiam hoſpitibus ad ſufficientiam, fratribus verò ad menſuram dabatur. Nam literas omnino niſi tantum

VIII.

pſalmo-

psalmos non didicit; & tamen omnem rationem & intellectum Euangelij, legis, & prophetarum & historiarum quoque ex crebra fratrum relatione, & etiam auidiore verbi Dominici exauditione, mirabiliter percepit: adeò vt sæpissimè obscuriora mysticæ intelligentiæ, interdum iocando, interdum verò admonendo, stupentibus auditoribus, proferret. Quod nos quidem, qui eum familiarius nouimus, frequenter audiuimus; præcipuè tamen, cum in summa sua festiuitate, in * Natiuitate scilicet Ioannis Baptistæ specialis sui patroni, sermoni eius affuimus; quo, in capitulari collatione, eodem die fratres suos admonebat, dum eos de eiusdem patris vita & moribus, victu & etiam vestitu, & operibus ad paupertatis suæ Domino --- placitam tolerantiam instruebat. Verum enim dico, & coram Deo non mentior, quia omnes penè, qui aderant eidem sermoni, ad vberrimam lachrymarum infusionem dono Dei sunt compuncti. Assedit ergò ibidem venerabilis Abbas Altahensis Rathmundus, cum pluribus sui cœnobij fratribus, & alijs multis insuper hospitibus, præter nos, quos in Canonico habitu illuc ingredi religio vetuit, quos tamen fratrum familiaritas & maximè Abbatis licentia circumquaque ad fenestras, concionatore ignorante, clanculo collocauit. Erat enim, vt de sancto Benedicto dicitur, quem post Deum, vita & moribus maximè sequebatur, & scienter nescius, & sapienter indoctus.

Scientia & eruditio illiterati.

* *Natali.*

Sermonis efficacia.

Arnold[a] vitæ hui[us] scriptor præsēs sermoni.

IX. Beatus itaque Godehardus, senio & labore iam fessus, & etiam tædio sæcularis curæ repletus, innuente rege, Herueldense regimen præclaro viro Arnoldo suo prius eo loci Præposito; & Bertholdo, æque venerabili suo Primicerio, Degerense commendauit: sicque ad Altaha remeauit; vbi, si Deo tantum placuerit, in finem vitæ suæ in debito cæptæ religionis studio perseuerare decreuit. Idem enim monasterium omni deuotione, vt vel hodie ibi liquet, adornare studebat; libris scilicet, & preciosissimis missalibus, vestimentis, cæterisque varijs, & vtilibus Ecclesiasticis ornamentis. Maximè tamen, quod vbique notissimum est, plurimos in eodem cœnobio fratres, scientia & moribus illustres, enutriuit; quos postea inter diuersa monasteria Patres ac doctores, Regis ac Episcoporum petitione dispertiuit. Sed, cum iam in laboriosa, sibi tamen placita, illa sua quiete, per decem annos in huiusmodi studio pausaret, totaque cordis intentione, in regione viuorum Domino placere diurnis nocturnisque suspirijs præoptaret, mirabile tandem somnium vidit, vt ipse nobis sæpius intimauit, post quam certè visionem se de hoc mundo, quo Deus iusserit, abiturum, non dubitauit.

Arnold. Abbas fit Herfeldensis.

S. Godehardus Altahā excolit.

Decennio vixit in Altaha qetus.

X. Quadam igitur nocte, vt semper per triginta iam annos consueuit, post primam tantum noctis quietem, Ecclesiam ingrediens, psalmodiæ cæterisq; talibus officijs intentus, pernoctabat; sed, & post matutinas in incepto decreto perstabat. Iamque aurora irradiante, modicè dormitans cubiculum intrauit; sicque super scamnum tantum inclinās, huiusmodi somnium vidit. Nam oliua pulchræ magnitudinis ibi in claustrali atrio stabat, & putabat se, sub eadem arbore lectionis studio sedere, & ad se quasdam grauiores & ignotas personas accedere; quæ se à rege eò missas asseretēt; vt eandem oliuā suffossam sibi in regale seruimen deferrent. Nec mora, vt sibi videbatur, secures & fossoria arripiunt; eamque summa festinatione exstirpare contendunt; sed quanto altius infodiunt, tanto densiorem radicum tenacitatem inueniunt. Quod ipsi videntes, festinationis causa, admotis securibus, radices secando præcidunt; sicque euulsam arborem secum auferentes discedunt. Et statim vt æstimabat ex relicta radicum densitate, innumera & speciosa virgulta succreuerunt; quæ totum etiam atrium, sua multiplicatione repleuerunt; ita, vt & vulgus diuersi sexus & ætatis accesserit, & de eisdem frutectis plantaria plura euellens, per rura & compita disseminauerit. At ille euigilans Ecclesiam statim intrauit; seseque & totum cogitatum suum in Dominum iactans, diuinæ clementiæ attentius commendauit; quia se post idem somnium discessurum, certius æstimabat; quod tamen sapiens quisq; alia euidenter portendere, patenter intelligit; qui multiplicem doctrinæ illius numerositatem sollicitè perpenderit, & illic in prioris religionis exercitio relictam, & postea vbi vbi per diuersa diuini roris dogmata salubriter dispersam.

Peruigilia ipsius.

Visio.

Oliuæ effossio.

Repullulatio.

Propagatio

Ad Defens.

Quoniam quidem beati viri vitam, non propria scientia, quæ certè nulla est, sed diuina clementia fauente, ab exordio hactenus per multa laudabilia descripseram, gratias pro scire condignas eidem clementiæ refero, tuumq; Venerande Pater auxilium, quem à fine vsque in finem in omnibus, & in hoc præcipue negotio eruditorem, defensorem, correctoremq; prelegi, tuum, inquam, tuique similium auxilium, & interuentum ad Dominum imploro, vt deinceps maiora & laudabiliora, illius directione sine mendacij fuco veraciter & congruè describam.

Lib. II. Anno igitur post incarnati verbi Dei mysterium MXXII. Regni verò Domini Henrici XXI. Imperij autem IX. fœlicis memoriæ Bernwardus venerabilis nostræ Ecclesiæ Antistes, ex hac vita ad perpetuam migrauit. Cuius certè obitus totam regionem maximè contristauit. Erat enim, vt festinando omnem eius [a] vitæ historiam transcurram, in cuncto diuinæ seruitutis studio iustè feruidus; & in tota mundanæ * vtilitatis sagacitate sapienter prouidus; contra rebelles & induratos iure seuerus; erga obedientes & mansuetos * rite mansuetus; in eleëmosynis & miseratione compatiens & [b] largus; vigilijs, ieiunijs & orationibus conuenienter intentus. Monasterium [c] itaque nostrum, libris, serico, auro, argento, gemmis, picturis, aliisq; Ecclesiasticis ornamētis pluribus decenter redimiuit, [d] Clericos auxiliante Domino multos, & etiam in diuino seruitio vtiles enutriuit. Venerabile templum [e] S. Michaelis proprio labore constructum, suaque hæreditate & acquisitione sufficienter dotatum, in monachicam religionem Deo consecrauit. Turres munitissimas, & etiam honorificas cum adhærente muro in Orientali & Occidentali parte nostræ ciuitatis, in tuitionem ciuium construxit. Ecclesias multas cum varijs & vtilibus ædificiis per diuersas Episcopi curtes ædificauit; & omni prorsus Pontificalis prouisionis honestate, in diuinis & humanis solerter inuigilauit.

S. Bernvvardi Hildesheimensis Episcopi obitus.

[a] Vitę eius præconium

* *Humanæ.*

* *Modestos.*

[b] Opera S. Bernvvardi.

[c] Monasterium, siue Claustrum Ecclesiæ Cathedralis. [d] Clerus. [e] S. Michaelis templum, & Monasterium. [f] Muniit ciuitatem turribus & muro.

I. Eodem tempore Imperator Gruona sedebat, & præmemoratum Abbatem, solito semper pietatis more, secum habebat. Adueniente ergò legato cum hac lugubri legatione, Imperator fidelem Christi, suique amicum condigno mœrore defleuit, & piam eius animam Deo & sanctis Domini Angelis, debita commemoratione commendauit. Deinde Abbatem secreto soliloquio conuenit, eique suæ voluntatis arcanum de Episcopatu eiusdem sedis aperuit. Cui statim ille in faciem restitit, & se indignum tali ac tanto honore & officio respondit: quem item itemque ex abundantia cordis deuotius admonuit. Ille verò in cæpta excusatione firmiter perstitit: dicens, certè se maiora onera diuitiarum ob hoc reiecisse, vt soli Deo liberius vacaret; & fragilis vitæ finem in solita dilectaq; sibi paupertate securius expectaret. Imperator verò per Episcopos duritiam cordis eius emollire tentauit, eosq; de talibus illum conuenire rogauit: in quorum ille colloquio solita fiducia restitit: & se tandem, si hoc tamen nomine dignus eis videretur, donec Ratisbona aut Patauia vacaret, vbi non sibi, sed suis tantum prodesse possit, libentius expectare retulit. Sicque ibidem, per totam hebdomadam de hoc inter eos causa tractabatur; sed ille semper in eadem suæ sententiæ tenacitate retinebatur.

S. Godehardus Ratisbonensem vel Patauiēsem Ecclesiam præoptat.

II. Tandem in vigilijs S. Andreæ Apostoli, quæ tunc in quinta feria ante aduentum Domini euenerant, item somnium vidit, quod tunc soli Imperatori, postea verò & nobis gratulando, & etiam lachrymando sæpius intimauit. Aspexit in visione post solitas nocturnas vigilias, ac preces matutinas, vt sibi videbatur in atrio eiusdem Ecclesiæ, in qua post triduum Deo consecrandus erat, nimiam certè multitudinem inter se tumultuantem, & de Episcopio Hilde-

Hildenesheimensi seriò concertantem. Tunc accessit ad eum in media multitudine, cum pulchra puellarum caterua, quædam matrona venerabilis, vultu & habitu mirabilis; &, apprehensa manu eius, de frequentia turbarum, eum in eandem Ecclesiam introduxit; &, extenta dextra, nutu tantum eum ad agendam ante crucifixum * veniam, admonuit, [a] statimque ipso se ad preces inclinante ipsa cum circumstantibus clara voce ita Deo psallere cœpit. Infunde vnctionem tuam clemens nostris sensibus: ad quam vocem ipse à somno euigilans, & eiusdem visionis mysterio compunctus, Ecclesiam intrauit, & coram altari Domini prostratus, diuinæ pietati se, suamque visionem commendauit. Facto autem die [b] Imperatorem secretius conuenit; & mentis suæ pertinácia remissa, visionis ei seriem aperuit, & tandem se diuinæ prædestinationi, & eius etiam consilio ac voluntati obsecuturum, deuouit. Nec mora, eodem die diluculo Clerus noster cum * Militia aduenit; quibus dum Imperator suum secretum, imò diuinum decretum intimauit, tota eorum vnanimitas gratanter dominum laudando suscepit. Quamuis primò, quod nec mirum erat, aliqui vel ob ignotam eius vitam, vel etiam ob auditam olim iuuentutis eius nimietatem, ad tempus expauescerent, sibique tale aliquid pertimescerent. Sequenti vero die, in Natali Apostoli, cum summo Cleri plebisque tripudio, eidem pastoralis cura commendatur, qui proxima dominica [c] Aduentus Domini ab Aribone Metropolitano Muguntiaco dignè domino consecratur.

Matronæ augustę monitum & cantus.
* Venia.
[a] Græcis μετάνοιαν ποιεῖν, vt humili & supplice gestu, &c.
[b] Imperatori Henrico visum aperit.
* Nobilium eliĉtum
[c] Ordinatur Episcopus ab Aribone Moguntino.

III. Sed tamen in ipso eiusdem honoris, siue, vt ipse putauit, oneris initio, iustis à Deo, vt verè creditur, prædestinata, non defuit tentatio. Nam idem eius consecrator Aribo, eodem die ante Missarum solemnia secretius eum cum Episcopis conuenit; eiq; in * Gandesheimensi loco, & circumiacente territorio omnem pontificalis officij prouisionem, Banni sui interpositione prohibuit. Quem quidem bannum ipse, suæ simplicitatis more, nec approbauit nec tenuit, sed statim ad Imperatorem ab eo solummodo patrocinium, in talibus quærens confugit. Qui confestim Archiepiscopo cum fratribus familiariter accersito, & dissimulata cordis molestia sui, hunc nouum conflictum Banno soluto sapienter pacificeque diremit. Et sic, prædicta consecratione festiuè celebrata, eandem diem in timore Dei exultantes læti peregerunt; & ita in pace suum conuentum dissoluerunt.

Aribo S. Godehardum interdicit iurisdictione Gãdersheimensi.
* Gãdenesheimensi.

IV. Non ergò vobis, ò lectores, incommodum vel fastidiosum videatur, si huiusmet conflictus initium, vobis certè in posteris necessarium, altius necessitatis causa repetatur. Quidam Dux Saxonicus Ludolphus nomine cum sua coniuge * Oda cum consilio & licentia [d] S. Altfridi IV. nostræ Ecclesiæ Episcopi, Romam petijt; & à beato Sergio Papa reliquias Sanctorum Præsulum Anastasij & Innocentij impetratas detulit. In quorum honore Monasterium & cœnobium Virginum primo in Brunesteshusen: deinde, quarto post anno in [e] Gandesheim construxit. Et easdem villas, cum adiacente territorio, & omni sua hæreditate, illuc, in vtilitatem Christo militantium contulit, & filiam suam * Hathamudam [f] Abbatissam ibi primam, eodem Episcopo ordinante, constituit. Sic totum idem territorium ab initio semper ad Hildenesheimenses Episcopos per CCXL. annos pertinuit; & nullus Moguntinus Præsul quicquam inde vel sibi, vel suæ Ecclesiæ vendicauit, donec à Rabano duodecimus [g] Willegisus Metropolitanus Moguntiacam cathedram insedit, vir certè in omni Catholica pietate præclarus, sed in hoc solo tantum periculosè temerarius; qui suadente, vt impunè veritatem loquar, domina [h] Sophia sorore Imperatoris Ottonis tertij, quæ iuuenili iactantia, & generis dignitate elata, à Palligero tantum velari gestiuit, eundem locum sibi vsurpare tentauit, quamtamen machinatio in conspectu Regis & Principum, [i] Osdago octauo, post Altfridum nostræ Ecclesiæ Episcopo, veritatis ei & iustitiæ voce reiistente disperijt; quando vix obtentu Regis, eiusque matris licentiam ab eodem Episcopo obtinuit, vt ibi in natali S. Lucæ Euangelistæ Missam celebraret Archiepiscopus, & prædictæ Sophiæ velationem simul cum eo ageret, de cæteris verò velandis virginibus, noster Præsul suo iure prouideret. Post pauca autem, prædicto Osdago Episcopo defuncto, & Gerdago etiam nobis electo, & post biennium functo, Dominus [k] Bernwardus regius Capellanus, eandem sedem obtinuit, quem idem Archiepiscopus consecrauit; sed super eadem repetitione prorsus obticuit, donec Domina * Gerburga [l] Abbatissa venerabilis nouum monasterium, quod ipsa post incendium construxit, voluit consecrari. Sed, quia ipsa, infirmitate detenta, ea prouidere non valuit, prædictæ Sophiæ spirituali certè filiæ, ac etiam nepti hanc procurationem commendauit; quæ statim, solito more, proprium Episcopum contempsit, Archiepiscopum honorificè ad talia vocauit. Qui iterum pro huiusmodi suasione iuris oblitus, eundem locum inuadere festinauit: sed præsulis nostri literis commonitus, distulit. Item inuitatur, itemque auctoritatis iure repellitur. Ad tertiam verò inuitationem Archiepiscopus illuc aduenit, Ecclesiam, vt putabat, dedicaturus, quod certè [m] Eggehardus Slesuicensis Episc. verè fidelis nostræ Ecclesiæ filius, illuc cum Clero à nostro Domino missus, scripturarum auctoritate intercepit. Post multas autem, & varias huiusmodi disceptationes, eadem causa tandem ab Episcopis comprouincialibus, vsque in præsentiam Romani Pontificis Imperatorisque comperendinatur. Sed eo tempore pius Otto tertius Imperator ad Christum migrauit; cuius loco, vt prænotatum est, Henricus in regnum intrauit. Qui statim natalem sancti Laurentij Patherbronnæ celebrauit: vbi Domina [n] Cunigunda regalem coronam percepit. Prædicta etiam Gerberga Gandenesheimensis Abbatissa sæculo exempta, Sophia ei succedens solito iterum more ibidem principum, licentiam domini Bernwardi à Palligero benedicendi impetrauit. Deinde nouus [o] Rex primum sui honoris annum in natali Domini Palidi inchoauit. Ibi coram eo per Principes sæpiùs dicta Episcoporum lite recitata, cordetenus indoluit; & ad illam sedandam, sæpè interceptam dedicationem Ecclesiæ Gandenesheimensis in Vigilia Epiphaniæ Domini destinauit. Illuc ergò, statuto die aduenientes, & dedicationis officium inchoantes, intus sacro mysterio peracto, Rex cum Episcopis & Primatibus ante fores ad populum processit; Vbi [p] Willegisus Archiepiscopus publico sermone æstimationis suæ culpam professus, iuri & repetitioni eiusdem loci abrenunciauit: & in testimonium huius abrenunciationis, † ferulam Episcopalem domino Bernwardo, vt postea in Francofordensi concilio claruit, coram Clero & populo condonauit. Archiepiscopus verò, hac lite sedata, [q] Præsulem nostrum, omni honore & charitate vltra dilexit, & in nostro Cœnobio fraternitate honorifice acquisita, summam dilectionem & loco & fratribus prouidit: qui quinto * post anno plenus dierum & bonorum etiam operum ad Christum migrauit. Cuius successorem [r] Erkanbaldum Fuldensis Cœnobij prius Abbatem dominus Bernwardus Calendas Aprilis Moguntiæ consecrauit; qui ibidem nouem annos præsidens ordinatorem suum, consanguinitate etiam sibi propinquum, debita deuotione percoluit, & supradicta controuersia omnino conticuit. Huic autem [s] Aribo regius Capellanus successit, quem Imperialis annuli dono, regio more præsignatum, Bernwardus Episcopus ad principale altare prænotatum Gandenesheimensis Ecclesiæ Presbyterum ordinauit; eique verbi Domini & Banni sancti Petri auctoritate, eiusdem altaris, & etiam loci vel circumiacentis territorij vsurpationem, inuasionem quoque, vel repetitionem, astante Imperatore cum Episcopis publicè interdixit. In huius banni vindictam ille nouo nostro Patri intulit tentationem prædictam. Erat tamen, vt veritatem non occultemus, idem [t] Archiepisc. genere & dignitate,

Ludolphus Saxoniæ dux fundator.
* Yda.
[d] S. Altfrid. IV. Episcop. Hildesheimens.
[e] Vulgo Gãdersum dominatũ licentia nũc in hæresin abiit.
* Hatmoda aliis.
[f] Hathamuda Abbatissa Ludolfi D. F.
[g] Willegisus asseruit sibi primũ Gandersheimẽse Monasterium.
[h] Sophia soror Ottonis III. Abbatissa Gandersheim, tantum velari voluit ab Archiepiscop. qui pallio vteretur, vt bene vertit Surius periphrasticôs
[i] Osdagus XI. Gerdag° XII. Episcopi Hildesheimii.
[k] Bernvvardus XIII. Episcop ibid ũdfis Bernhardus.
* Gerberg. Ditmaro
[l] Gerberga Abbatissa, instauratrix coronatur. Willigiso Archiep. sc.

Gandersheimii. [m] Eggehardus Slesuicensis Episcopus dedicat nouam Ecclesiam Gandersheimens. [n] Cunigunda Regina Paderbornæ * Rex Henricus natalitia Palidi celebrat [o] Willigisi Archiepiscopi renunciatio super Gandersheim. † Episcopalis ferula [q] Ius fraternitatis cum Hildesheimensi Clero * Christi 1011. [r] Erkanbaldus Willigisi successor, sedit 9. ann vsque ad Christ. 1020. vel 1021. [s] Aribo Moguntiacus molestus S. Godehardo. [t] Aribonis Archiepisc. laus.

gnitate, & probabili morum etiam grauitate, verè venerabilis: sed in hac tantum temeritate erga nos pro parte culpabilis. Hæc ergo huius conflictus abbreuiatio ideo hic adnotatur, vt subsequentis disceptationis de eodem Gandenesheimensi territorio veritas & ratio clarius cognoscatur.

V. BEATVS igitur Godehardus Pontificatus Infulis decoratus, Nonis Decembris Hildenesheim aduenit: omnesque in suo aduentu verè gratulantes inuenit. Qui mox, vt Cœnobij nostri religionem eo tenùs rationabiliter, Deo gratias, conseruatam agnouit, condignas illico diuinæ miserationi laudes persoluens, omni eam deuotionis studio ampliare, & in diuini cultus exercitio condecorare sategit. Forinsecus verò de generali cleri & populi gubernatione, Episcopali speculatione solerter inuigilauit: pro qua etiam, die ac nocte, omni vitæ suæ tempore, indefectiuo gemitu, Domino indesinenter supplicauit. Semetipsum verò in sanctimonia solita, & in primitus incepta bonorum operum assiduitate non solùm cautè custodiuit, sed etiam religiosè diætim, augmentauit. In vigilijs & orationibus, ac continua & certè vix credibili ieiuniorum frequentatione, & largissima eleëmosynarum profusione, & in summa totius diuini timoris grauitate, vsq; in finem, Spiritu sancto corroborante, perseuerauerit. Fuit igitur, vt nulla prorsùs virtutis eius panegyrtea prætermittam, Regibus & Primoribus & formidini & honori: cæteris verò, vnicuique secundùm se timori pariter & amori. Pro cunctis scilicet ritè solicitus, & in Christo omnibus omnia factus, soli tantum sibi grauis, austerus perstitit, & parcus. Cœnobium suum Pastorali cura sapienter gubernauit, & fratrum commoda in victu & vestitu, cæterisq; indigentiæ humanæ necessariis, sæpiùs adauxit: quos etiam ad sacræ religionis obseruantiam Apostolicè, arguendo, & obsecrando, multipliciterq; informando conduxit. Iuuenes quoq; & pueros quos inibi bonæ indolis & sapidos inuenit, per diuersa scholarum studia circumquaq; dispertiuit: quorum certè postea seruimine, variam ac multiplicem suæ Ecclesiæ vtilitatem in lectione, scriptura, & pictura, ac plurali honestiori clericalis officij disciplina, conquisiuit. Thesaurum nihilominùs Ecclesiasticum, quem ibi numerosum inuenit, tam decenter, quam & vtiliter amplificauit: & quicquid in ædificiis Ecclesiasticis non solum principalis suæ ciuitatis, sed & in aliis suæ prouisionis locis, dirutum, vel * veteratum reperit, totum summâ celeritate distrahere, renouare, & meliorare festinauit. Inter quæ tamen omnia baptismalem Ecclesiam quam fælicis memoriæ [a] Otwinus X. noster Antistes in honore S. MARIÆ & S. Epiphanij Episcopi, quem de Papia ciuitate, Dei dono, Patronum nobis adduxit, in Australi parte nostræ Ecclesiæ construxit, senio certè & negligentia delapsam diruit: & in eodem loco Monasterium honestum, in prætitulato honore primo suæ ordinationis anno fundauit, quarto consummauit: & ibidem [b] Congregationem Canonicam pluris sanè honoris & vtilitatis, in Domini timore coadunauit, quam concambuij sui acquisitione, sufficienter vestiuit & pauit, abundantemq; illuc in futurum, ad talia sufficientiam, condonauit.

Cœnobij Cathedralis disciplina.

§ Godehardi conuersatio & vita.

Autoritas.

Regimen Cœnobij.

Iuuentutis Ecclesiasticæ educatio

Rerum cõseruatio.

Fabrica.

* *Veteranũ*

[a] Otvvinus Episcopus Papia Hildeshẽ transtulit §. Epiphanium.

[b] §. Godehardus Congregationem Canonicam fundat, vbi nunc Collegium est Societatis IESV, vt notat Brovverus ad acta translationis § Epiphanij.

VI. MIRACVLVM ergà primum, quod per eum Christi gratia ipso suo primo anno fecerat, in spem & gaudium lectorum hîc interponendum meritò opinor: quod ipsa veritate, quæ Deus est, teste, non mentior, ab ipso quidem vsq; in finem penitus celatum, sed à Clero & populo, qui intererant, diuulgatum. Eodem anno Aribo Archiepiscopus Imperatorem in Pentecoste Moguntiam inuitauit: vbi, & Concilium generale coadunauit, in quo Episcoporum consilio plura, quæ deuiauerant, correxit. Præcipuè tamen [b] Ottonem Comitem de Hamerstein & Irmengardam illicitè commanentes, separare disposuit, quod tamen penitus perficere non potuit: quia ille partim se regali timore, partim Episcopali commonitione vtcumq; correxit: illa verò publicè bannos præuaricans, ibidem ius legemq;, vt vel hodiè claret, funditus perdidit. Ad [c] idem Concilium Præsul noster, & Imperiali, & Pontificali vocatione allegatus, pulchra cleri & militiæ frequentia, etsi non sponte comitatus, illo properabat. Et quadam die in pago, qui Logingaha dicitur, iuxta prædictum Castellum [d] Gruona, vbi, gratia Dei & electus & consecratus est, iter carpebat: & contigit ibi in villa quadam, mulierem à spiritu vexari immundo: & à parentibus vel propinquis per Ecclesias ad Sanctorum patrocinia circumduci. Qui, dum nouum Episcopum illuc aduentare cognouerant, in occursum ei, sancta eius opinione fiduciati, simul cum infirma, concitè properabãt. Immundus verò [e] Spiritus, ipsa eorum festinatione pauefactus, per os infirmæ anxio clamore, quo duceretur, inquisiuit. Cui, cum diceret, quod in occursum Godehardi Episcopi traheretur, honorifico statim mugitu, & eiulatu, cæpit miserabiliter refragari: &, ne ad Episcopum veniret, ipsis, qui eum ducebant, mirantibus pariter & pauescentibus, reluctari, eiulans & vociferans, Godehardum se nec audire, nec posse videre. In eo certamine dum infirma, à fidelibus fide & spe, vt verè patuit, feruentibus, trahebatur, Spiritus nequam totâ violentiâ reluctabatur: tandem (Deo gratias) fugato Dæmonio, mulier liberatur: & ad virum Dei, vbi sub quadam arbore refrigerij gratia consedit, sana corde & corpore perducitur. Qui, cognitis rebus, timore pariter & gaudio compunctus, lachrymãs gratias diuinæ pietati, in faciem prostratus, iure persoluit: eidemq; manus imponens, eam benedictione pariter & prece in fide * confortauit, & valentem, imò & gaudentem, cum gaudentibus ciuibus & amicis remisit: sicq; iter, quod cæperat, peregit. Vnde eum omnes qui eum eò comitabantur amplius & amabant & timebant, cuius coram Deo tale meritum cognoscebant, quibus tamen, super hoc facto, seria auctoritate silentium indixit. Sed nec ægra, quæ sensit, nec turba, quæ salutare miraculum vidit, reticuit.

Synodus Magontina sub Aribone Anno 1023.

[b] Otto Comes de Hamerstein & Irmengarda coniux illex

[c] §. Godehardus inter est Synodo.

[d] Gruona Castellum.

[e] Dæmon refugit §. Godehardum.

* *corroborauit.*

VII. ERAT etiam in Orientali parte ciuitatis nostræ palus horrifica & circum manentibus omnino plurali formidine inuisa, eò quod ibi, vt opinabantur tam meridiano quam & nocturno tempore illusiones quasdam horribiles vel audirent, vel viderent: quæ à fonte salsuginis, quæ ibidem in medio bulliebat Sulza dicitur. Qua, ille spectatâ, & illusione etiam phantasticâ qua bruta plebs terrebatur auditâ, eandem paludem, secundo sui aduentus anno cum cruce & reliquiis Sanctorum inuasit, & habitationem suam ibidem aptauit: & in medio periculo [f] Oratorium in honorem sancti Bartholomæi Apostoli fundauit: quo, sequenti anno consummato, & dicato, omne Dæmonum phantasma exinde funditus exstirpauit, & eundem locum omnibus commorantibus vel aduenientibus gratum, & sine qualibet tentatione habitabilem reddidit. Vbi [g] Xenodochium Christi, in receptionem pauperum ædificauit, quod omni humanæ indigentiæ commoditate abundans, fideli cuidam suo Presbytero Bernwardo, cuius hic nomen, pro fidei merito iure interponitur, commendauit, per Christi nomen eum frequentius terribiliter obtestans, vt non solum illic commorantibus, sed & cunctis fortè aduenientibus victus & vestitus necessaria, ita conuenienter prouideret, sicuti pro hac ipsa sua dispensatione Deo rationem reddere deberet. Quoddam tamen talium genus, illos scilicet, qui vel Monachico, vel Canonico, vel etiam Græco habitu per regiones & regna discurrunt, quos & Platonis more, Peripateticos irridendo cognominauit, illos in quam prorsus exprobrando execrabatur, quos tamen per nomẽ Christi quod profitebantur, necessaria sustentatione biduo vel maximè triduo consolabatur: sicq; præbitis calciamentis, vel vestibus, eos, ne cursus sui solitum obliuiscerentur, discedere hortabatur. Aliquibus verò cum eo diutiùs permanere cupientibus, illam Gregorij in dialogo sententiam ironicè obiecit: quomodo stultum viatorem ad sacra loca properantem, inimicos per conuiatorem suum, & per fontis vel prati amœnitatem, vel etiam ciborum dulcedinem decepit. Interdùm verò à suis familiaribus, quod nec ei displicebat, admonitus, quod inter tales sæpiùs veri Dei amici inuenirentur, illud statim Hieronymi ridiculum opposuit. Quia mendaces, inquit, faciunt, vt veridicis vix credatur. Si quos tamen talium in DEI cultu vel timore stabiles agnouit, hos nimirum priuatim potius quam publicè, quod & ipsi

Sulza cruce & reliquiis expiatur.

[f] Oratorium ibi §. Bartholomæo condit.

[g] Xenodochium addit.

Pauperes gyrouagi exclusi & eorum delectus.

Lib. 2 c. 13.

S. Godehardi mansuetudo erga pœnitentes S. Nicolaũ imitatur.

malebant, in his quæ ad Deum pertinent adamauit. Sed & super delinquentes & noxios mira erat miseratione mitis & placabilis: ita, vt si quilibet talium confessionis & pœnitentiæ gratia ad eum confugerent, & delicta eis statim, promptâ clementiâ, indulserit, & vigilanti cura, eis, ne vlterius in talia necessitatis causa inciderent, omnem sufficientiam in posterum prouiderit: more quidem & exemplo sancti sui patroni Nicolai Episcopi, qui eleëmosynarum auro, & virginum incestus, & patris earum inopiam, & totius familiæ detestabilem ademit infamiam, & quorumlibet pauperum ad se quoquo modo * peruenientium pia clementia sedauit indigentiam. Huius inquam exemplo, præsul noster satagebat inopes vbiq; semper consolari: cui & cordi erat cum talibus colloqui, cum eis ludificando & etiam conuiuando, iocundari.

* *pertinentium.*

Henrici Imp. mors. Conradus Salicus.

E o etiam anno à natiuitate Christi MXXIV. piæ memoriæ Henricus Imperator ordinationis suæ anno XXIII. VII. ad Christum migrauit: cuius quippe obitus, totam Christianismi lætitiam, qui sub eo floruit, flebiliter conturbauit. Cui succedens vir nobilis & strenuus Conradus, primum suæ fælicitatis annum in natali Domini Mindæ initiauit. Inde post Epiphaniam [a] Hildenesheim venit. Ibi etiam prædictus [b] Aribo Archiepiscopus, qui, viuente Imperatore iam per biennium obmutuit, iterum, inuenta occasione, beatum Godehardum super Gandesheim inquietare cæpit. Quâ tamen [c] eius machinationem nouus Rex, Primatum consilio diremit. Sicq; Rex, peragrata cõpendioso itinere Saxonia, quadragesimali tempore per Thuringiam Franciamque in Baioariam progressus, Reginesburg sanctum Paschà honorificè feriauit. Et ea æstate, partes Baioariæ, Sueuiæ, & Carentinorum, cum circumiacentium prouinciarum terminis, pertransiens, Natalem Domini Leodij celebrauit: ad purificationem verò S. Mariæ [d] Augustæ mansit. Inde iterum ad partes Italiæ direxit. Et proximum Pascha * Versellis prosperè celebrauit. Et ita contiguas circumquaq; regiones in nouo regio decore, visitando peragrauit. Tertio quoq; suo anno, Præsul noster Montem speciosum in occidentali parte ciuitatis incolere cœpit, quem quinto post anno titulo ac nomine [e] S. Mauritij, summi sui Patroni dicauit. Ecclesiam [f] etiam pulchram in Holthusen in honorem S. Benedicti Abbatis monachicæ conuersationi aptam dicauit: & circumquaq; per Episcopij sui terminum basilicas multas, vel ipse studiosè ædificauit: vel ab aliis fidelibus Christi constructas, gratanter Deo consecrauit. Eo tempore prædictus Aribo Archiepiscopus in natali S. Matthæi Astoli [g] Selingenstadt, Concilium generale Episcoporum duodecim conciuit: in quo Præsulem nostrum super prædicto Gandesheimensi territorio publicè conuenit. Quam tamen Synodum vnanimitas fratrum in futurum annum comperendinauit. Rex autem Natale Domini festum * Iporeæ initiauit. Inde ad limina Apostolorum tendens, feriâ tertiâ ante Cœnam Domini [h] Romam, fælici prosperitate gaudens intrauit: & in sancto Resurrectionis Domini die coronam imperialis honoris à beato Ioanne Apostolorum Vicario gloriosè percepit: Inde in proxima dominica regressus, ac peruasa circumquaque potestatiuè ea regione, in pace repedauit; & Natiuitatem sancti Ioannis Baptistæ * Impriboli, nouus [i] Imperator celebrauit; vbi, & defuncto [k] in bona senectute Henrico duce Baioariæ, filio suo, Domino Henrico eundem ducatum, principum delectu, commendauit.

[a] Hildenesheimium venit anno 1025.
[b] Aribo renouat litẽ Gandersheim.
[c] Hodœporicon Conradi regis.
[d] Conradus Augustæ anno 1026.
* *Vercellis.*
[e] Collegij S. Mauritij origo. Anno 1025.
[f] Ecclesia in Holthusen Benedictinorũ, quæ iam diruta nomen manere ait Brovverus.
[g] Synodi Seligenstadiensis indictio 1027. VII. Kalend. Aprilis.
* *Eporeia* quæ Eporedia.
* *In bripoli* Netiam Saxoniæ ciuitatem dicit Brovverus.
[h] Conradi regis coronatio Romæ peracta.
[i] Reditus.
[k] Henricus dux Bauariæ moritur.

Eo item anno, Aribo Moguntinus Franconouordi Concilium Synodi coadunauit, præsidente Imperatore cum Episcopis XXIII. in quo iterum beatum virum Godehardum de sæpiùs peruentilata causa, more suo, inquietauit. Ibi præsul noster, tandem summa veritate, quæ Deus est, miserante pariter & adiuuante, Episcopatus sui proprietatem, super totum Gandensheimense territorium, testimonio septem Episcoporum, qui prædictam pactionem in Gandisheim & audierant, & viderant, canonicè retinuit: scilicet Brunone Augustensi concionante: Wernero Argentinensi decernente, ipso verò Metropolitano verè inuito verbi Dei banno affirmante. Hi enim erant Episcopi, qui Seniori nostro suum testimonium, sicuti audierant & viderant præbuerunt, id est, Bruno Augustensis, Euerhardus Bauenbergensis, Meinwercus Paderbronnensis, Meginhardus Wirceburgensis, Sigebertus Mindensis, Hildiwardus Citizensis, Bruno Mersburgensis. Pulchra enim erat ibi, & rationabiliter ordinata, tam [l] regalis quam & Episcopalis confessio. Nam, in orientali parte ante altare Archiepiscopus [m] Aribo cum suis suffraganeis, Wernero Argentinense, Brunone Augustense, Meginwerco Patherbronnense, Euerhardo Bauebergense, Meginhardo Wirciburgense, Godehardo Hildenesheimense, Branthoo Haluerstadense, Wiggero Verdense, Hazecone Wormatiense, consedit. In occidentali verò parte [n] Imperator consedit: & à dextris eius Piligrinus Coloniæ Archiepiscopus cum sibi subditis, Sigiberto Mindẽse, Sigifrido Mimigardẽse, Bẽnone Traiectense. A sinistris [o] Hunfridus Parthenopolitan[o] Archiepscũ suis, Hildewardo Citizense, Brunone Mersburgẽse, Luizone Haluerbergẽse, Thiederico Misnense. In australiaũ plaga Epi Rambrechtus Wirdennensis, Rodolphus Slesuicensis, Hiltolphus Mantuanus, Reginoldus Aldenbergensis assederunt. In Aquilonari etiam, [p] Abbates Richardus Fuldensis, Reginboldus Loresheimensis, Arnolphus Herueldensis, Gerberdus Moguntinus, cum aliis etiam eiusdem ordinis sex adfuerunt. Subsequens etiam natale domini festum Imperator Leodij celebrauit: Pascha verò Aquisgrani festiuè feriauit, vbi & filius eius [q] Henricus regalis nominis coronam à Piligrino Archiepiscopo, Cleri, plebisq; electione honorificè percepit. Eo anno iterùm Aribo Synodum suam [r] Geizlice conciuit, ad quam item Seniorem nostrum Godehardum inquietandum, legatis & scriptis vocauit: quo ille ire dissimulans venerabilem virum [s] Tadilonem Decanum nostri cœnobij, cum fratribus obuiam ei misit: qui eum honorificè ex parte Senioris salutando, de præteritæ Synodi diffinitione commonuit, & plurali altrinsecùs auctoritatatum collatione profusa, Episcoporum auxilio eum ab ipsa repetitione, tunc tantummodo compescuit.

Gandersheimensis causa S. Godehardo attestatione 7. Episcoporum addicta.
[l] Confessus Episcopalis & regalis Francofurtensi Synodo.
[m] Aribo & eius suffraganei.
[n] Imperator, & Philigrinus Colon. cum suffragan.
[o] Hunfridus Magdeburgensis cum suffraganeis.
[p] Abbates.
[q] Henricus Conradi F. Aquis coronatur à Piligrino Colon 1028.
[r] Geizlice Aribo nouam Synodum molitur.
[s] Tadilo Decanus Hildenesheimij.

SEQVENTI quoq; nihilominùs anno Imperatori Palidi confidente, prædictus Archiepiscopus ibidem Synodo habita, veterem querelam contra beatum virum, præsente Imperatore, incepit, sed post multa & varia disceptationum colloquia, vix tandem ab Episcopis commonitus destitit. Hoc etiam anno [t] Bruno Augustæ ciuitatis Episcopus obijt, cui * Eppo successit. [u] Wernerus quoq; Strazburgensis præsul sustollitur, post quem Wilhelmus surrogatur. Proximo quoq; * anno Imperator [x] Mersburg Pentecosten celebrauit: vbi prædictus Aribo Archiepiscopus & Senior noster Godehardus inter se inuicem super diuturna eorum disceptatione, reconciliati sunt. Nam ipse Metropolitanus Patrem Godehardum secreto coram Episcopis conuenit: seq; super hac parochia errasse confitendo nunciauit: & omnem fraternam satisfactionem, sed & de præterita lite perpetuam taciturnitatem, sub vero Christi & Ecclesiæ testimonio, promisit: sibiq; priora errata propter dominum remitti suppliciter petijt. Istud ergo hic veraciter inscribitur, quia ipso domino Godehardo idem sæpiùs in suo sermone protestante publicè, verùm esse comprobatur. Eo anno [y] Vnevvanus Archiepiscopus Hammaburgensis obijt, cui [z] Liebizo successit. Deinde Imperator Natalem Christi Patherbronnæ egit, vbi [a] Aribo Metropolitanus in sancto die inter Missarum solennia, publico sermone habito, licentiam ab Imperatore & confratribus Romam pergendi rogauit: simulque à Clero & populo indulgentiam sibi à Deo impetrari postulauit. Sicq; post Purificationem S. Mariæ iter assumens, Romam adijt. Inde verò digrediens VIII. Id. Apri-

Palidi vel Poledæ agit Imper. vbi Synodus 1029.
[t] Bruno Augustæ Episcopus moritur.
* *Eberardus*
[u] VVernerus item Argentinæ.
* 1030.
[x] Mersburgi lis Gandersheim sedatur.
[y] Vnevvanus Archiepiscopus Hammaburgi obijt.
[z] Liebizo succedit.
[a] Aribo Padebornæ valefaciens Romam adit: & moritur 1031.

Id. Aprilis, ah, ah, obijr, anno ordinationis suæ XI. cunctis certè Catholicis merito flebilis: quia in omni Ecclesiastica religione erat verè laudabilis. Cui vir simplex & rectus, Bardo Heruelldiæ Abbas successit: qui, domino manifeste proueheute, breui ad culmen summæ perfectionis fæliciter processit. Cuius pietatis vita & actus hic plenius ideo non inscribuntur, quia (Deo gratias) Moguntiæ pro sanctitatis suæ meritis inter Apostolicos sacerdotes magnificè celebratur. Vnum tamen perfectionis eius priuilegium dicam, quod ei in nostris confiniis à sanum sapientibus Clericis, honoris gratia, oblatum est; scilicet, vt æquiuocato cum beato Iohanne Episcopo cognomine, propter dulcisonam prædicandi melodiam Bardo Chrysostomus diceretur. Quodam etiam tempore cum more Episcopali beatus Præsul noster Godehardus visitandæ commissæ plebis gratia Parochiæ suæ terminos circuiret, Huginhusen * curtem suam adijt: ibi, cum eleëmosynarum largitate, qua præ cunctis studebat, pauperes reficeret, quædam vidua pauper ex eadem familia filium suum eius conspectui detulit, puerulum pauperculum miserrimo infirmitatis genere debilitatum. Nam partim paralisi, partim lepra vexabatur, distortisque neruis membrorum, à tota corporeæ formationis vtilitate dissoluebatur. Manus enim cum brachiis, & genua cum pedibus, & tibiis, putrido tumore, & profluenti sanie manabant, adeo vt nec gressum quoquo modo mouere, vel saltem reptando posset vsquam prodire. Quem ille & vultu, & corde hilari, quasi verè donum Dei gratanter susceipit, & suis cubicularijs diligentius commendatum secum deduci præcepit. Potens est, inquit, Deus, qui ab initio non dedignabatur miseris & peccatoribus, diuerso pietatis suæ remedio subuenire, nos etiam super hoc pauperculo, solito pietatis suæ more lætificare. Qui puer ad principalem nostram Ecclesiam cum Episcopo perductus, & non sine magno puerorum, qui eum seruabant labore per aliquot hebdomadas sustentatus, tandem post quatuor vel quinq; menses cæpit paulatim plane ex beati viri meritis & precibus conualescere, & sedato partim tumoris & saniei profluuio, interdum assurgendo, interdum vero proreptando, quasi ad gressum membrorũ neruos exercere. Quod Præsul pius agnoscens, præ gaudio sæpiùs illachrymans, diuinæ miserationi grates debitas retulit: cui & intentius supplicare, vt postea, verè donante Deo, patebat, non destitit, nam intra anni spatium, vt certè apud nos omnibus notum est, puer fugata morborum multitudine, laxataque neruorum contractione in melius conualuit, & de die in diem ad quodlibet seruitutis officium valenter profecit. Idem namque homo Werinus nomine iam per viginti & eo amplius annos in Capella Episcopali incolumis deseruit, nisi quod quasi in testimonium virtutis Dei, in semetipso certè in cruribus & in manibus ipsas membrorum torturas, &, vt ita dicam, gibbos quosdam cunctis se videntibus ostendit.

a Elogium eius.

Bardo successor.

Chrysost dictus.

* *Engelhusen Surio.*

S. Godehar. puerũ miserabilẽ oblatum complectitur fouetque.

Werini nomine puer is à sancto Godehardo sanatus mancipatus.

Episcopali Capellæ

XI. ALIIS quoque permultis varia humanæ conditionis fragilitate laborantibus, quibusdam scilicet, quod & grauissimum est peccatorum pondere pressis; quibusdam verò, diuersa infirmitatum molestiâ detentis ad se confugientibus, opem suæ intercessionis impertiuit: eousque infatigabili sanctarum precum instantia, & ab imminenti periculo liberauit, & in futurum Domino auxiliante, à talibus custodiuit. De quibus quam multa multis planè cognita veraciter enarrare potuerim, nisi ea ab illis, tunc ipso cogente, dissimulata, ea maximè causa silendo modo præterierim, ne aut lectoribus altius fastidium ingeratur, aut ad talia pigris, incredulitatis peccatum augeatur. Vnum tamen dicam, quod quasi ioculari ridiculo Goslariæ effecit, quando ibi in Curte Regali in postremo ætatis suæ tempore, iussu & petitione Gislæ Imperatricis, Ecclesiam construxit. Erat ibi matrona quædam in Laicali conuersatione posita, sed in timore Dei intime deuota, [a] Hathzeca nomine, cuius filium ipse Episcopus pro fidei religione, quam in ea sentiebat, de sacro fonte suscepit, quam, quodam tempore contigit, grauissimo oculorum dolore vexari, & per aliquot dies adeo, vt nec cibum nec potum accipere, nec aliquam corpoream quietem habere posset, cruciari. Quæ tandem, cogente grauissima doloris anxietudine, filiolum suum ad Episcopum cum eulogiis transmisit: eique infirmitatis suæ nimietatem intimans, aliquod medelæ subsidium ab eius pietate quæsiuit. Quibus, Præsul, auditis, læta hilaritate subrisit, & flores quosdam rubicundos de arbore quæ lingua Teutonica Spinnelbaum dicitur, ei forte in ipso momento à pauper quodam allatos, signo crucis muniuit, & eidem puerulo dedit, dicens: Affer hos flosculos amicæ meæ, matri tuę, vt illos in mei memoriam secum habeat, & à Deo salutis remedia poscat. Nec mora, vt ipsa nobis sæpiùs iurando retulit, vt ipsos flores ægris oculis admouit, omnem illico totius infirmitatis dolorem à suo capite, mirabili celeritate diffugere cognouit. Et statim, apertis vel ostiis vel fenestris cubiculi, q̃ iam per aliquot dies diligentius eius ægritudinis causa claudebantur, cæpit clarius videre, & nihil prorsus huiusmodi molestiæ amplius sentire. Quæ, posterâ die ad Episcopum peruenit, & gaudens simul & lachrymans, gratias condignas diuinæ miserationi, eiusque visitationi humiliter retulit: quam ipse benignè consolando suscipiens, & in Domino, corde firmo sperare, & indefinenter benefacere præcipiens, oculos eius à Presbytero sacro oleo, quod infirmorum dicitur, vngi mandauit. Quæ certè vnctio, eiusque pia deprecatio, eam ab eodem dolore, vsq; in finem integrè sanauit.

Ecclesia Goslariæ constructa à S. Godehardo iussu Gislæ Imperatricis, quam tamẽ non absoluit, vt notat Brovverus.

[a] Hathzeca matrona laborans ophthalmia.

[b] Iucundè sanatur.

XII. ILLVD quoque quod in antepenultimo præsentis vitæ anno ei accidit, propono in exemplum & cautelam fidelibus, & timorem & formidinem negligentibus. Erat sane in nostra congregatione quidam Presbyter ex familia Ecclesiæ ortus, literalis scientiæ, vt in pace veritas procedat, penè ignarus, sed mundanæ sagacitatis subtiliter & supra modum gnarus. Qui ex infima paupertate ad summas diuitias, cunctis mirantibus, succreuit, qui primo à Domino Bernwardo Episcopo fæliciter exaltatus, sed ab Imperatore Henrico, pro quibusdam causis, quæ modo melius silentur, humiliatus, iterum ab hoc beato viro, quia vtilis ei ad res Ecclesiæ videbatur, pia miseratione subleuatus, variè tamen inter aduersa & prospera sæpiùs habitus: postremo autem, in tantum sibi tanti Pontificis animum sua calliditate conciliauit, vt perplures ante fideliter ministrantes Episcopo abalienaret, eosque tam herili gratiâ, quod eis certè molestissimum erat, quã, & dignitate & proprietatis vtilitate, priuaret. Sed ne hoc aliquibus mirum videatur, quia beato Gregorio teste, sæpiùs fit, vt occupato in pluribus & maximè in diuinis animo facilè ab adulantibus subripiatur, tandem ille ab omnibus publicè maledicitur, & etiam interdum Episcopo à sanum sapientibus huiusmodi insolentia obijcitur. Qui & ab his tandem qui insontes alienati sunt, in gratiam reducitur. Præsul tamen pius, post aliquot annos de talibus clarius certificatus, & super eos, qui iniustè lædebantur aliquando ad veniam inclinatus, die quadam conuenire de nostra congregatione Præpositum & Decanum, cum aliquot Fratribus, cæterisq; suis primoribus Holthusen, vbi tunc forte manebat, mandauit, assidente etiam viro venerabili suo ex sorore nepote Ratmundo Altahensis Cœnobij Abbate, præsente eodem Presbytero, omnibus, qui se ab eo læsos querebantur, coram licentiam fandi donauit. Statimque sine mora, plura querelæ genera tam ab ipso Abbate, suisque qui hospites intererant, quam & à nostris proferuntur, quæ contra eum publicè à cunctis quasi vno ore dicuntur. Querebantur enim omnes simul, primo generale Ecclesiæ & Episcopalis honoris scandalum, deinde ciues & hospites quisque speciale iniuriarum sui detrimentum. Quibus, ille, auditis quasi insultando, vt erat callidissimus subrisit, & velut admirans, quæ hæc essent, inquisiuit, ac deinde commentis mundanæ suæ sapientiæ, quâ planè plenus erat, quæ verè ante Deum stultitia computatur, vt in ipso manifestè patuit obiecta quæque eloquenter repulit, omnesque sibi aduersantes mirabiliter, quasi mutos & elingues reddidit. Pius Præsul, tandem Spiritu sancto verè compunctus, & insuper etiam mirabili stupore permotus, considerans pariter & manifestam rerum veritatem, & fiducialem cordis eius temeritatem, ilico omnium voces compescuit, & modificato sermone, cunctis admirantibus, ita incepit. Hilde wine, inquit, sic enim vocabatur,

Presbyter ex humili emergens.

Obrepit incaute S. Godehardo.

In Holthusen conuocato consilio inquirit in Presbyterum Ratmundus Altahẽsis Abbas nepos S. Godehar.

Callida Presbyteri frustratio.

S. Godehar. oratio ad vafrum ingenium expugnandũ apposita. Adiuratio singularis.

ecce omnes circumstantes, vt tibi videtur, vicisti, ecce omnes subtilitate tua, Deo veritatem inspiciente, quasi mendaces ostendisti, iam modo ad me conuertere, & soli mihi, per Christum adiuratus, veritatem responde. Euangelica, inquit, te sententiâ aggredior; &, quia sensum Euangelicum non planè sapis, te Teutonico sermone alloquor. Hildewine, inquit, Diligis me? Ille statim fiducialiter, verè, ait, diligo te. Itẽ Episcop⁹, Hildewine, inquit, Diligis me? at ille, certè, ait, diligo te. Item; Episcopus tertio, Hildewine, inquit, Diligis me? tandem ille miser, Euangelico illo exemplo stupefactus, sed non rite, prò dolor, compunctus, irato pariter & flebili sermone, respondit, Deus, inquit, qui omnia scit, ipse scit, quia verè diligo te. Tunc Præsul, ecce, inquit, siquidem verum dicis, mihi satisfecisti; sin autem desipis, temetipsum miserabiliter obligasti. Sed si me, vt dicis, fideliter diligis, pasce oues meas, id est, dilige fratres & amicos meos, etiam hospites & pauperes meos, dilige conseruos & domesticos tuos. Vnde, & per Deum te commoneo, vt si verè iurasti, te in veritate custodias, si quo minus, dignè, pæniteas: & sub hoc pacto iam domum regredere; & dignitate pariter & beneficio, ac proprietate tua gratia mea, siquidem Deus annuerit, vtere. Sicq; conuentum illum, cunctis admirantibus pariter & pauentibus, dimisit. Illos tamen pariter ibi charitatis exhibitionem suscipere, & sic in pace discedere præcepit. Inter quos Hildwinus lætus & hilaris, & quasi de victoria sua exultans, ad prandium consedit; & inde incolumis redijt. Ad vesperam verò domi cum suis consedit iocundus & epulans: & in eos sanè, à quibus se læsum dolebat, conuitia & minas intentans: sic lectum petijt; & sospes, vt sibi videbatur, quieuit. Mane diluculo, ad prouidendum suum Ministerium iturus, valenter surrexit, calceamenta citius induit; sed ad induendas tunicas assurgens, concitus corruit, & mirabili celeritate præoccupatus, miserabiliter expirauit. Plures tamen & amplissimas in sua proprietate in innumeris ex pretiosis vestibus, & alia pecunia, & etiam peculio dimisit, quas tamen beatus Præsul de eius morte, vltra quam credi potest, condolens, totas pro animæ eius remedio pauperibus penitus erogari præcepit: remissionemq; ei peccatorum ex corde, etsi serò, indulsit; & pro animę illius ereptione, ieiuniis & obsecrationibus sæpiùs insudare non destitit. Quia ergò nos eum modo, vltra debitum plus necessariæ veritatis, quam inuidiæ vel odij causa reprehendimus, & eius negligentiam nostra fortasse minorem, pluribus patefecimus, obsecramus (ô lectores) vestram dilectionem, vt cum hæc legeritis, indulgentiam ei & remissionem peccatorum pro nostra certè fælicitate à Domino imploretis, & sic fortè hæc nostra reprehensio fiet illi ante misericordiam iudicis, venialis remissio.

Toan. 21

Presbyteri veteratoris interitus.

XIII. ERAT quoque in nostra congregatione vir vitæ venerabilis, ac in omni canonicæ regulæ obseruatione iure laudabilis, nomine Tadilo, de quo etiam supra pauca retuli, primo sub Domino Bernvvardo, pro fidei & industriæ prærogatiua, Vicedominus; sed ab hoc beato Pontifice pro vtilitate Ecclesiæ Decaniæ, ac scholari Magisterio præstitutus. Et, quia ei pro pietatis & castitatis merito cordetenus complacuit, eum sibi in Consecretalem & Symmystam in Dei seruimine adoptauit. Erat enim, tota Ecclesia, quæ eum nouerat teste, grandæuus & emeritus, humilitate & dilectione præclarus, in regendis verò ac commonendis fratribus, media charitate seuerus: & in toto virtutum exercitio coram Deo solicitus. Nam in admonitione sua illo ridiculo prouerbio sæpiùs vtebatur. Diligant, inquit, homines, oderint vitia. Huic beatus Pontifex ante aliquot menses sæpiùs, vt nobis videbatur, iocando prædixit, quod aut secum, aut paulo ante se, ex hac vita esset emigraturus. Nouissimè verò ei in postremis decumbenti, per prædictum Abbatem nepotem suum, quem ad eum visitationis gratia sua vice direxit, serio mandauit, quod Sacram olei Vnctionem verè pœnitendo, & commissa sua confitendo, plena fide susciperet, & corporis sanguinisque Christi Sacramento munitus, intrepidus præmigraret, promittens ei veraciter se superstitem pro eius animæ remedio Dei gratiam indesinenter obsecratutum, & eum in proximo anno in pace Christi subsecuturum. Qui Abbas eundem dilectum, & iure semper memorandum Magistrum nostrum, cum astantibus fratribus sacro oleo perunxit, eique ex potestate & iussione Episcopi plenariam remissionem indulsit, qui fælix post biduum verè ad Christum migrauit. Cuius tamen obitus nos acriter contristauit, quia Congregationem nostram tanti viri patrocinio & consilio magisterioque priuauit. Verùm certè, & clero, & populo teste, dicimus, quia nunquam eius ordinis virum, in omni Ecclesiastica probabilitate honestiorem vel vidimus vel videbimus. Cuius certe memoriam iure nos cordetenus retinere debemus, quem vere ante conspectum Sanctorum nostri recordari non dubitamus. Sic ergo prophetiam B. Præsulis liquido Deus adimpleuit, qui eum post annum & tres tantum menses ex hac vita fæliciter exemit.

Tadilonis elogium.

Præparanti se ad mortẽ necessaria.

XIV. IAM autem beati patris Godehardi appropinquante manifestius fine, semper operum bonorum augmentis, de virtute in virtutem anhelabat, vt videre mereretur, Deum Deorum in Sion. Et iam cessante practicæ plurali officio, in solo se indesinenter theoriæ *afflixit exercitio, tria tantum de generali specialiter eximens, Psalterium, Eleëmosynam, & præ omnibus iugiter sibi sociam & amicam Abstinentiam: adeo, vt si rarò festiuiori tempore, cogentibus perobedientiam fratribus, aliquid lautioris cibi, vel fortioris potus contra morem stomachi perceperit, molestiæ magis cordi, quam refectioni fuerit. Et tunc supremum præsentis vitæ Natalem Christi anno scilicet MXXXVI. Imperatore Goslariæ sedente, ipse Holthuisen votiue celebrauit, soluens certe secundum Euangelium, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo. Semet quippe, prædicto more, Christo spirituale sacrificium immolans, sed & suo nihilominus Clero sane & populo in diuinis & humanis, pro ritu & etiam debito, iuxta vires congratulans. Sacratissimos etiam XL. dies, & vt ipse sæpiùs iocundando proclamabat, saluberrimos, summo cordis ac mentis affectu hilaris expectabat, quos corporaliter quasi extra corpus mirabiliter transiens, vix cohærentibus neruis ad sacrosanctum Pascha peruenerat: attamen Dominicam Palmarum, Cœnamque Domini; & festum Resurrectionis Christi, debito Episcopali officio, vltra vires collecto robore, peregit: Sicque Paschæ ferias, per circumpositas stationes, iuxta solitam religionem, admonendo fideles visitauit. In quibus etiam diebus sæpiùs publice denunciauit, se modo cum illis vltima corporali consortio lætitia iocundari: & in Ascensione Domini, quo Deus iusserit, inuitari. Nos verò hæc audientes, quasi detristissimus, quia eum iam quantoties de regressione antiquæ suę patriæ videlicet Baioarię nobis minitantem, audiuimus. Post *Albas itaq; à nobis digressus cum prædicto suo nepote Ratmundo Abbate, ª Adenstadt, quo inceptam iam nouiter Ecclesiam cõsummare studebat, deuenit. Nec infirmitati diutius reluctari valens, deficiente carne, decubuit. Quo, flebili rumore comperto, prædictus Abbas, vir certe corde & animo diuinæ seruituti mancipatus, & Præpositus noster ac Decanus cum prioribus, ad eum, visitationis gratia conuenerunt: quem tamen dissimulato languore, solito more, Ecclesiastico labori assidentem, circumstantiumque manibus sustentatum inuenerunt: quos aduenientes, solita charitatis hilaritate lætus suscepit, & quasi, oblita molestia, aduentus eorum causam admirando perquirens, reportari se ad cubiculum præcepit. Ibi, *admisso specialiter ᵇ clero, primo singulos quosque de suæ obedientiæ procuratione solerter admonebat, ac deinceps omnes generaliter de sacræ fidei & religionis obseruatione tam salubriter, quam & terribiliter, obsecrando simul & arguendo, informabat, deinde se orationibus eorum, contra callidi tentatoris insidias & fraudes commisit: eisque ᶜ obitus sui diem & tempus, funerisque, & exequiarum, & etiam sepulturæ ordinem, vt postea euenit, quasi alludens, liquido prædixit. Ite, inquit, & ad superuenturam Dominicæ Ascensionis lætitiam vos quisque pro suæ obedientiæ qualitate, & etiam pro spiritualis prærogatiuæ quantitate, præparate, & meum aduentum læti, & quasi vere mecum hic & in futuro congratulari expectate. Nam in vigilia Ascensionis in montem ad sanctum meum Patronum Mauritium aduehiam; & ibi noctem diemq; sanctam agam. Abbatem tamen vobis, qui vice mea Processionis & Missarum solennia peragat, mittam; & sic eleuatis oculis, altiusq; suspirans, quasi tamen ar-

Festorum periodos ante mortẽ religiose decurrit.

Psal. 85. *affixit.

Mat. 22

Vaticiniũ de obitu suo.

*Dominicã in Albis.

ª Adenstadt

Morbo succumbit.

*adunato.

ᵇ Cletum se visentem exhortatur

ᶜ Prædicit mortem & ordinem exequiarũ.

men arridens, Nocte, inquit, illa, vt Christus voluerit peracta, in feria sexta diluculo ad sanct. Michaëlem veniam, cum Abbate & fratribus pernoctaturus, inde Sabbatho ad sanctum Andream oraturus, & inde vos adeam vobiscum penitus permansurus. Diem verò dominicam, conuocatis fratribus & amicis, solenniter celebremus, & ita totius nostri festi iocunditatem penitus terminemus. Et hæc dicens, benedictionem dedit; sicq; nos mirantes pariter & stupentes dimisit. Habebat quoq; beatus Pater in priuato suo ministerio iuuenem quendam illustrem, filium viduæ, pictoriæ artis opificem, qui vilia eius vestimenta calciamentaq; seruabat, nomine Bunonem, cui ab initio eiusdem anni, quod secum patriam suam, id est, Baioariam, perrecturus esset, sæpè præcepit. Nam, vt prædiximus, longè ante, sæpiùs se patriam suam reuisitaturum seriò promisit, & pluribus cuiusque ordinis se vltroneos offerentibus, ac pariter cum eo proficisci cupientibus, grates deuotioni eorum retulit, & solum tantum Bunonem secum iturum præelegit. Eodem quippe die, ante aduentum cleri, vt prædiximus, dum, more suo, in abditis vestimenta sua mutaret, eidem [a] iuueni præcepit, vt eadem vestimenta, quæ deposuit, indueret, & ad eum concitus veniret. Quæ verba ille, quasi deliramenta vel irrisione plena, contempsit; Præsul verò ac si dedignando cubicularis dixit. Ite, & vestimenta, quæ deposui induite ei, & ad me deducite: qui statim eum post velum cubiculi trahentes induerunt, & in conspectum, velut irridentes, reduxerunt. Quem ille diu intuens, ait. Verè scias, quia in eadem veste rumorem inuenies. His dictis, puer exiuit; & in ipso momento, intolerabile eum frigus inuasit, & hora eadem ægrotans, lecto procubuit. Quem cum post discessum fratrum, Episcopus requireret, dictum est, quod ægrotaret, qui statim, accersito Procuratore præcepit ei, dicens. Puerum illum cautè, & sine molestia fac ad matrem suam deduci, vt in occursum meum paratus mecum possit proficisci, qui statim deducitur, & decrescentibus diætim viribus ad extrema præparatur. Deinde Præsul noster, ingraueſcente febri Holthusen, vbi confluenti Ecclesiastico more ad visitationem tanti viri multitudini sufficiens ædificiorum erat copia, prouehitur. Ibi, inter multam cleri populique frequentiam, quadam die venerabilis domina [b] Sophia de Gandesheim aduenit; quæ tandem, vt in pace loquar, deposita priori pertinacia, plena se fide & deuotione ad beati Præsulis familiaritatem conuertit. Quæ tunc, occasione inuenta, & populari turba remota, astante clero, de friuola quadam pertinacia, quæ de suæ Ecclesiæ Clericis contra beatum virum increuit, exordium fecit, & debitam satisfactionem promittere cæpit. Ad cuius verba ille, partim morbo cogente, partim verò, vt nobis videbatur, indignatione permouente, iracundè respondit, & in futurum talia suspendi, rogauit. Illa verò commotionem eius dissimulans, & obitum eius celeriorem formidans, item itemque in sua satisfactione, etiam lachrymando, perstitit; eamq; vt recipere dignaretur, obsecrando postulauit. At ille, Domina, inquit, per dominum paulisper reticete; & hæc, donec in festiuitate sanctæ MARIÆ conueniamus, suspendite: ipsa autem, vt videbatur omnibus, finem eius citius aduenturum intelligens, & tamen, verba eius vehementer expaueſcens, Vtinam, inquit, ô pater dilecte, tam diu nobis vita nostra superſit, donec hoc tempus venerit. Ille vero fortiter, collectis viribus, apertisque oculis, & omnibus diu circumspectis ait. In potestate quidem Dei vita nostra, exitusque verè consistit; in veritate tamen, quæ Deus est: dico vobis, quia in festiuitate S. MARIÆ, vbi Deus voluerit, certè simul erimus; ibidemque coram, veraci testimonio, & de his, & de aliis etiam, quæ inter nos dissident, tractabimus. Et hæc dicens, compressis oculis, reticuit. At ipsa nimio stupore pauefacta, silentibus circumstantibus, ait, Heu me miseram; numquid nam sum moritura, eumque in proximo subsequutura? Nec tamen amplius eum inquietare præsumpsit, sed humiliter sibi ab eo indulgentiam simul & licentiam petijt. Item ille, apertis oculis, eam breuiter, imo & salubriter de sacræ religionis obseruatione commonuit, ac de plurali suæ obedientiæ prouisione coarguit; & sic, eleuata dextera, eam benedictione muniuit; eique, pro tempore, remissionem indulgens, non sine magno, vt ipsa fatebatur, timore dimisit. Transacta autem hebdomada, Beatus Pater, iam, deficiente funditus corpore, ab Abbate cæterisque Fratribus sacri olei liquore Ecclesiastico more perungitur, & ita, vt prædixit, in Vigilia Ascensionis Domini, [c] in montem sancti Mauritij transuehitur. Ibi statim ad eum Fratres flendo conuenerunt; nec amplius amaritudinem doloris, quo corde tenus vexabantur, abscondere valuerunt. Cætera verò innumerabilis multitudo fidelium confluxit, quem non minor pro obitu charissimi * Pastoris afflixit amaritudo, quos tamen ille, licet iam deficiente penè lingua, benignè consolando dimisit: & diluculo iterum aduenire mandauit. Quibus discedentibus, & sacram noctem illam in magno dolore ducentibus, B. Pater, consueto sibi more psalmos semper, quasi pro dulci refectione, ruminabat; & in tali meditatione cursum suum consummans, pernoctabat. Summo vero diluculo, iterum Clerus, peractis matutinis, aduenit, quem ipse affatu item supremo breuiter, attamen salubriter de sacræ religionis & obedientiæ obseruantia commonuit. Sicque confessionis versu cum eis communiter prolato, ad celebranda cum Abbate Missarum solemnia, valedictione vltima dimisit. Præsul autem clemens, non immemor suæ promissionis, de prædicto suo cubiculario Bunone, requisiuit solicitè; quem, vbi desperari corporaliter cognouit, ei per nuncium mandauit, dicens. Consolare puer meus in Domino, & confortare; quia iam tempus instat quo mecum ad patriam æternæ beatitudinis debes verè peruenire. Quæ verba puer lætus audiuit, & nil iam de vita præsenti meditans, in ipsa sacra Ascensionis Domini die, viaticum salutare petiuit: quo percepto, gaudens promissionem beati Præsulis expectauit. Missarum igitur apud nos celebritate peracta, refectioneque festiuè percepta iterum Fratres, hora iam diei decima ad Pontificem dilectum reuenerunt, & penè linguæ officio cessante, corde verò, iuxta Apostolum, spiritu & mente [d] psallente, psalmos in solo pectore difficulter ruminantem inuenerunt. Tunc, inito consilio, pueros quatuor scholares ex vtraque lectuli parte statuerunt, quos psalterium à principio, apertè & distinctè recitare fecerunt. Quibus, Beatus Pater, auditis, quasi hac melodia delectatus, aliquantulum quieuit; interdum & simul cum illis psallere gestiuit. Versus tamen illos præcipuos, qui specialiter Domino ad supplicandum pertinebant, apertis eleuatisque oculis altius ructitabat. Media autem nocte iam finito psalterio, iam imminente manifestius [e] fine, matutinale officium inceperunt: & dum ad psalmum, Benedictus Dominus Deus Israel, peruenerunt vir beatus in vltimo agone tunc desudans, vix dum, apertis oculis, clero cantante, Illuminare his, qui in tenebris & vmbra mortis sedent, ille, ad dirigendos inquit pedes nostros in viam pacis, & in [f] hoc verbo dum à Clero, Gloria patri, cum Antiphona, Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, canebatur, ipse ab astantibus de lecto leuabatur; sicque fælix verè illa anima, quasi obdormiente corpore, carnali ergastulo soluebatur, consonantibus statim ibidem campanis. Fratres, qui in Monasteriis felicem eius obitum solerti vigilantia expectabant, pro tam dilectæ animæ remedio preces exequiales deuotè frequentabant. Non ergo nunc æstimo silentio prætereundum primum meriti eius indicium, in ipso beato obitu, Deo teste declaratum. Nam sæpè dictus puer Buno in domo matris suæ iuxta Ecclesiam S. Michaëlis eodem momento, membris præmortuis extremo tantum spiritu in solo pectore palpitante, desperatus iacebat: qui, resonantibus illico campanis, quasi à somno euigilans, quid hoc esset stupens exquisiuit: cui cum mater dissimulans, matutinale officium signari, diceret, ipse, ac si indicans matris astantium q; fallaciam, cur me, inquit, fallitis? Cur veritatem celatis? Verè cum hoc signo dilectus Dominus meus cœlum scandit, & promissionum suarum, ah ah, immemor me reliquit. Surgite, ait, & eleuatis manibus, cordibusq;, eius dilectam animam diuinæ clementiæ commendate; &, vt mei meminerit obsecrate. Et eleuatis, nisu quo potuit, ad cœlum oculis, O Præsul, inquit, sancte, O pater clementissime, per ipsum te adiuro, ad quem vadis, vt nunc mei memineris; & ne me in carne iam post te relinquas, quem tecum ad patriam iturũ sæpius promiseras. Illi stupentes pariter ac mœrentes, dum iussioni eius obtemperant, vixdum reflexis oculis, statim

Bunonem puerum à cubiculis morti præparat, quã cum Episcopo erat obiturus.

[a] Puer familiaris induitur Episcopi Godehar. vestimẽtis.

S. Godehar. morbo ingraueſcente in Holthusen proficiscitur.

[b] Sophia Gandesheimensis Abbatissa S. Godehardo se recõliat.

Spiritus prophetícus S. Godehardi.

Extremam vnctionem accipit.

[c] In montẽ S. Mauritij peruehitur.

* *reuerendi*

Bunoni puero cubiculario prædicit felicem mortem.

1. Cor. 14.

[d] Psallendi ratio per pueros scholares.

[e] S. Godehard. moriens psallit. Luca 1

[f] Postridie Ascensionis sanctus de corpore migrat. An. 1037.

Buno puer mire eum sequitur.

Parentalia & Exequiæ quanto omnium ordinum studio persolutæ Bruno Mindens. Episc.

eum exanimem aspexerunt. Quem illico stratu deponebant, & omisso fletu, eum, quod optauerat, obtinuisse congaudebant. Fratres verò à Monasteriis, exequiarum debito, matutinaliq; officio peracto, Missarum celebratione, psalmorumq; frequentatione Pastorem suum diuinæ commiserationi tanto deuotius commendabant, quantum se ab ipso commendandos fiducialius sperabant, adueniente autem fælicis memorię Brunone Mindenensis Ecclesię Episcopo, quem ipse Pater venerabilis sibi in Spiritualem filium adoptauerat; qui etiam cognita eius infirmitate, iuxta nostra confinia habitabat, hora eiusdem diei tertia totus clerus cum populo Militiæ certè & familiæ, & plurali ciuium comprouincialiumq; & maximè pauperum frequentia [a] ad Montem, vbi specialis noster thesaurus seruabatur, processit, eumq; ad Monasterium S. Michaëlis, vt ipse viuens, prædestinauit, deduxit. Quo, dum appropiatur, ante portas atrij, funus defuncti iuuenis, cum non modica parentum ciuiumq; turba, profertur: quod & ante pedes Episcopi per dispositas Ecclesias à ministris circumfertur. Quantus verò planctus & lamentatio vel cleri, vel populi, vel etiam pauperum ibidem extiterit, ingenij nostri facundia certè ad enarrandum, non sufficit; quia, in vna cuiusliibet mente, vel voce luctus & lætitia pariter sonuit, dum pectora fidelium de præsenti mæror, de futuro gaudium perculit. Quia, sicut de S. Martino canitur, Pium erat flere, & pium gaudere. Merito ergo fleuimus, quia talem Pastorem amisimus, sed & iure gaudebamus, quod talem intercessorem præmisimus. Vigiliis ergo ibi, pro nostro modulo condignè peractis, beatum corpus mane ad S. Andream est honorificè delatum: ibiq; oblatis sacrificiis, inde in principali nostra Ecclesia cum debita veneratione collocatum. In crastinum verò, illucescente Dominica ex diuersis per Saxoniam Cœnobiis fratres & sorores in obsequium tanti patroni conuenerant: qui destitutionem cleri & desolationem populi, ac generale totius Christianismi damnum, debita lamentatione defleuerant, sicq; ab Episcopo missali officio deuotissimè peracto, sacrum beati viri corpus in medio nostro choro, Ecclesiastico more, terræ est * collatum: quod ibidem, vsque in hodiernum à fidelibus Christi iuxta humanæ fragilitatis possibilitatem condigna cum reuerentia frequentatur. Prædicti autem pueri corpusculum ante Occidentalem templi introitum, ab eodem Episcopo prius est humatum. Domina verò Sophia, de qua etiam supra retulimus, iam de sua præmonitione magis magisq; solicita, sorores suas ac Presbyteros illo cum oblationibus transmisit, seseq; beati viri meritis & precibus suppliciter commisit, sicq; superuenturam beatæ matris Christi Assumptionem simul & Natiuitatem pauens expectauit, quæ tamen incipiente sequenti anno, triduo ante Purificationem S. MARIÆ ex hac vita emigrauit. Sic, & in hoc beati Patris prophetiam Deus liquido declarauit. Nos quoq;, quantum, Deo annuente possumus merito eiusdem Abbatissę animam diuinæ miserationi sæpius commendare debemus, quæ congregationem nostram, dum vixit, omni semper dilectione percoluit, eiusdemq; dilectionis certum testimonium posteris reliquit.

[a] Ex monte S. Mauritij transfertur in S. Michaelis.

Luctus in funere.

Ad S. Andreæ defertur. & mox in cathedralem.

Sepultus in medio choro.

* collocatũ.

Pueri Banonis sepultura.

Sophiæ Abbatissæ mors.

Eius merita in clerum Hildeshiemensem.

XV.

De miraculis igitur, quæ per beati Patris merita post dissolutionem eius corporis, in salutem credentium, diuina pietas clementer ostendit: melius pauca quam plura scribenda putamus: ne aut studiosis fastidium, aut desidiosis vel etiam infidelibus incredulitatis periculum, narrationis prolixitate, contrahamus. Præcipuè tamen, propter quasdam vanæ mentis personas, quæ in nostra patria, vsitato more per sacra loca discurrentes, se aut cæcos, aut debiles, vel elingues, vel certè obsessos temere simulant, & ante altaria vel sepulchra Sanctorum, se coram populo volutantes, pugnisque tundentes, sanatos se illico proclamant, ea scilicet sola vesana voluptate, vt sic tantum maiorem stipem, vel quæstum à plebe percipiant: sicque fit, vt & beatum virum sæpiùs de talibus dixisse præmisimus. Quia mendaces, inquit, faciunt, vt veridicis vix credatur. Et cum in huiusmodi fallacia tales liquido deprehenduntur, etiam veræ sanctorum virtutes in periculosam desperationem hac dubietate retrahuntur: vel certè & hi, qui verè sanantur, etiam non solum à perfidis, sed & interdùm à fidelibus fallere creduntur. Sicut vtique nobis de quadam muliercula palam euenit. Primo namq; prædicti nostri Antistitis * Helizonis anno, in speciali nostra festiuitate, id est, in Assumptione sanctæ MARIÆ, anus quædam nobis ignota, velata capite, nubilatâ facie, ante sepulchrum beati viri se proieeit: ibique, prædicto amentium more, diutiùs volutata, tandem prosiliens se per multos annos cęcam ibidem tunc illuminatam proclamauit. Quo statim rumore diffamato, clerus populusque concurrit, ipse etiam Episcopus aduenit: cumque iam ad agendas publicè Domino gratias, properarent, ciues illius, qui eam prius nouerant eamque in huiusmodi falsitate sæpiùs notauerant, venerunt, qui illam & modo, & sæpè etiam antea talia mentitam, veraciter dixerunt. In quam, cum iam populus merito, vt male tractaretur, insurgeret, à clero tamen pro beati Pontificis veneratione defensa, confusa discessit: nusquam nobis postea comparuit: Talibus ergo fallaciis, cauta desideratione post hæc deuitatis, pluribus ignotorum dictis, quæ certè veræ esse poterant, dubitando dissimulans, ad ea tantummodo sola, quæ præsentes, veritate teste, vidimus, vel, quæ certè ab his audiuimus, quos veraces in timore Domini cognouimus, narrationis nostræ seriem intendimus. Primum namque fuit, quod & erat & est omnibus notissimum. Quidam de operariis nostræ Ecclesiæ nomine Luidigerus, cum in Ecclesiæ atrio ligna collocarent, grauiori quadam trabe decidente, femore cum tibia & pede miserabiliter contrito, penitus debilitatus est: quem Beatus pater, quia priùs eum fidelem & vtilem cognouit, ante mensam suam quotidiè cum pauperibus ad Eleëmosynam sedere fecit, præcepitque. Qui miser super debilitatis suæ dolorem, grauiori semet mœrore sæpiùs afflixit, quia ad opus, cui mancipatus erat, vtilis esse non potuit. Quicquid tamen sedendo vel proreptando agere potuit: in hoc se voluntaria vtilitate studiosus exercuit: nec prorsus aliquod tempus, nisi cum somnum vel cibum caperet, tansire sibi paticbatur, quin semper in aliquo vtilis esse videretur. consuetudo namque dilecto nostro Pontifici fuit, vt puerulos, vel etiam pauperes validiores sæpiùs per plateas, vel per defossas petrarum foueas ageret, qui sibi lapillos minutos quosdam niuei coloris, vel nigri, vel rubri interdùm, vel varij, deferrent; quos ipse elimatos, & politos variaque collisione vel confricatione in similitudine pretiosorum lapidum redactos, aut in altaribus, aut in libris, aut in capsis honestè collocauit. In quo nimirùm opere, prędictus ille pauper se priuatim exercuit: & cæterorum industriam vtiliter præuenit, & pro curiositate tali Episcopo penitus complacuit. Interdùm autem & pictoribus, & eis, qui vitro fenestras componebant, se admiscuit, inter quos etiam vtiliter operosus extitit. Beato vero Pontifice ex hac luce sublato, ipse detonsus & laneis indutus, carne & lautiore reliqua refectione abstinens, ad sepulchrum eius contulit se: ibique tam custodibus, quam & cæteris fidelibus, quanta potuit fidelitate, seruiuit: & postremo, consentientibus magistris, totam sepulchri custodiam penitus vsurpauit: vix tamen debili crure, ligno sustentato, reliquo vero corpore baculo subleuato, tale obsequium exercuit. Attamen vires, quas inualetudo denegauit, obediendi deuotio ministrauit. Psalmos quippe non nouerat, verba tamen, quæ fidelium narratione vel admonitione perceperat deuotius inuigilando, sæpiusque in modum veniæ, fidelium more decumbendo, sollicitus frequentabat. Quo ibidem in hac sedulitate firmius perdurante, & ad altiora, quantum ad se, proficere satagente, quadam die Sabbathi ad vesperam, dum in choro vespertina laus canitur, ipse iuxta sepulchrum pontificale prosternitur: & ibi diutiùs, aut somno aut extasi quasi immobilis detinetur: &, vt ipse præterea fatebatur, intolerabili quadam membrorum & neruorum distensione, vel contractione inuisibiliter cruciatur. Sed, finita laude, quasi soporatus surrexit, & veluti plus solito ægrotans, vix habitaculum repetijt: statimque lectulo se se collocabat, & per totam noctem in illa membrorum distractione durius laborabat. Sed paulo ante matutinum tandem sopitus, obdormiuit: & somnium, in quo surgere, & ad Ecclesiam ad agendas gratias domino properare iussus est, vidit. Somno tamen cito excitus surrexit: moxque remoto femorali sustentaculo, reiectoque baculo, matutinali hora & Ecclesiam intrauit, &

De miraculis.

Impostorũ genus in se miracula mentientium.

*Hetelonis.

Anus simulans cæcitatem.

I. Miraculũ Claudi sancto familiaris.

Pauperes quotidie circa mensam sancti.

S. Godehar lapillis colligẽdis pauperes occupabat.

Luidigeri pauperis industria & erga S. Godehardũ obseruantia.

uit, & coram omnibus, Deum, euidenti professione lætus laudauit: & postmodùm in finem vitæ incolumis, quanto diutiùs, tanto deuotiùs ministrauit.

XVI. MVLIER etiam quædam nomine Mersuind, omnibus nobiscum commanentibus notissima, quæ per multos annos errabat cæca, ad idem beati Præsulis sepulchrum, in crastinum post Assumptionem S. MARIÆ coram Clero & populo est illuminata. Cæca mulier visum recepit.

XVII. QVIDAM quoq; rusticus de pago Ecclesiæ, qui Holtlaon dicitur, nomine Deniko, diutina infirmitate, miserabiliter fatigatus, contractione lumborum per multos annos est crurum officio spoliatus: qui tandem ad viri sancti memoriam baculorum sustentatione vix dum perreptando, peruenit, ibiq; in anniuersario eius diei, integram sanitatem coram clero & populo omnibus nobis intuentibus recepit. Claudus iterum restituitur.

XIIX. NOBILIS verò quædam fœmina non ignota, de Episcopatu Mindonensi, Siuue, nomine, puellam fratris sui filiam nutriuit, quam in locum filiæ adoptatam, intimè dilexit: quæ grauissima infirmitate præuenta, periclitari cœpit, & quasi præmortua biduo exanimis iacebat. Propinquis verò cum familia & ciuibus assidentibus, & tantam puellæ elegantiam, pro multiplici miseratione amarè deflentibus, anus quædam, quæ ad Ecclesiam seruiebat, de memoria nostri Præsulis, sermonem habuit: & qualiter ad eius tumulum infirmi, per diuinam miserationem, sanarentur, exposuit. Cuius admonitione, domina ipsa compuncta, matutinali tempore Ecclesiam intrauit: & coram altari prostrata, profusis lachrymis, domino sanctæq; MARIÆ, & beati etiam Præsulis animæ pro eadem sua nepte oblationes intima deuotione deuouit. Et continuo, vt ipsa nobis flendo iurauit, regrediens, puellam iam videntem, iam loquentem reperit: quæ refectionem petijt, & accepit, & Christo pro Beati Viri meritis annuente, sanitatem integram recepit. Quã amita, quinta post die ad S. MARIÆ altare, & ad tumulum Præsulis cum promissis oblationibus deduxit: & qualiter sanata sit, cum sufficienti ciuium & prouincialium suorum testimonio, coram multitudine comprobauit. Puella examinis curatur.

XIX. FRATER quoq; noster non ignotæ memoriæ Wolchardus Presbyter, eo tempore Vicedominus, postea noster Præpositus, postremò fælix Brandeburgensis Ecclesiæ Episcopus, qui eidem patri nostro, vt omnibus notum est, & fideliter seruiuit, & intimè complacuit, cum post obitum eius, Episcopales curtes, more solito, circuiret, in villam, quæ Aschgereshusen dicitur, deuenit: & in domum quandam ad prandendum diuertens, puerulum misera languoris infirmitate detentum, inuenit: qui tunc per aliquot hebdomadas, & omni membrorum officio destitutus, iacebat: & ad exitum diætim, vt omnibus videbatur, appropinquabat. Quem idem Presbyter, sicut semper erat super talibus miserans, lachrymando diutiùs intuebatur, languorisque tempus, & euentum, ex familia sciscitabatur. Quod, vt agnouit, flenti matri, vt ad tumulum sancti Pontificis candelas iuxta pueri mensuras promitteret, persuasit: quod & ipsa statim libentissimè fecit. Sed cum pauper illa ceram ad talia non haberet, ipse ex lino lychnum parari præcepit, & puerum per singula membra metiri fecit, vt certam mensuram secum deferret, & per se, præstita cæra, candelas pro ægrotante ad Beati viri memoriam offerret. Quo facto, ad prandium consederunt, & quasi oblito puero, alia quædam inter se fabulari cæperunt. Interim verò puer mira celeritate quasi ex morte reuixit, & in lecto, cunctis admirantibus, resedit: &, vocata matre, de stratu prorepsit, & refectionem petijt, & eodem momento percepit: & postea, pro beati viri meritis, incolumis permansit. VVolchardi Episcopi Brandeburgensis consilio, puer moribundus sanatur.

XX. ERAT etiam in nostra congregatione iuuenis quidam, ex laico conuersus, Desiderius nomine: & eodem Beato viro iubente, in clero tonsuratus: & vsque ad diaconatus ordinem promotus. Et, quia plenum officium cantando & legendo cum fratribus frequentare non potuit, eum, ne penitus vacaret, cum custodibus Ecclesiæ, ministrare præcepit. Tempore autem Azelini nostri Præsulis, post miserabile [a] incendium nostri monasterij, dum idem frater noster, intra festiuos dies * Natiuitatis domini, quadam vespera in scholis cum pueris sermocinando consedit, subita cæcitate miserabiliter perculsus cecidit, & alia etiam infirmitate concrescente, tempore longo decubuit: quadragesimali vero tempore, cæcitate durante, ex infirmitate conualuit, & Ecclesiam debito more frequentans, ad pontificale sepulchrum, spe sanandi, sæpiùs prostratus, procubit. Et contigit quadam feria ante Pascha, certè in * Cal. Aprilis, quando celebramus reliquiarum aduentum Sanctorum [b] Cantianorum Martyrum, dum in matutinis ibidem procumberet, ilico, quasi pruriente dextro oculo, & durius manu confricato, sanguis non modicus prorupit: & statim in eodem oculo visum recepit: pro qua clementia, diuina pietas ab omnibus in commune laudabatur: & pro reliquo solita miserationis domini potentia expectabatur. Post Pascha vero in anniuersario die sancti Patris nostri, cum in eius memoria, Missa pro defunctis ab Episcopo celebrata est, tempore oblationum, coram clero & populo, quasi infirmatus corruit, & prorumpente illico sanguine ex oculis & naribus, & etiam auribus, aperto oculo, visum liquidò percepit. Missali deniq; officio peracto, Episcopus habito sermone, clerum & populum ad laudes debitas persoluendas domino, admonuit; & profusis vnanimiter lachrymis, dominum pariter & ipse laudauit, qui frater eorum momento, gratias Deo agens, penitus conualuit: & post hæc in promissa professione vsq; in finem fideliter permansit. Plurima igitur beati Pastoris nostri præconia, eâ solummodo, quam præmisimus, ratione, præterimus: quæ, per diuinam clementiam ab initio vsq; adhuc gloriosè fieri sæpiùs sentimus. Nec tamen illud reticebimus, quod tota sancta Dei Ecclesia teste verum esse nouimus, quia plures plerumq; ad sepulchrum eius cum oblationibus gaudentes aduenientes, qui sese, suosq;, à variis tribulationibus, vel infirmitatibus, celeri subuentione, per virtutem eius merita liberatos publice referunt: namq;, vt alicui aliquid incommoditatis, vel molestiæ occurrerit, statim cum ad sancti huius Patris memoriam, vel absens oblationis suæ votum vbicumq; promiserit, procul dubio eodem momento, quamcumq; consolationem in vera fide sperans obsecrat, eam celerius meritis eius suffragantibus impetrat. Desiderius Diaconus æger & cæcus conualescit. [a] Hildenesheim. Monasterij incendium. *Natalis. *Postridie Kal. habet Breuiarium Hildesheimen. vt notat Brovverus. [b] Cantianorum Martyrum reliquiæ Hildesheimij. Sanitatum gratia apud S. Godehar. sepulcrum.

Decem sequentia miracula facta sunt, cum adhuc esset Abbas.

XXI. IOANNES quidam ciuis Patauiensis, febris incommodo vexabatur per longa tempora, contigit autem vt sanctus Pater Godehardus adhuc Abbas in suo Monasterio Altach pro negotio dicti sui Monasterij Patauiam aduenirent: & infirmus ille, ipsius cognita præsentia, fratrem suum misit ad eum, rogãs vt ipsum causa Dei visitare dignaretur. Quod & fecit. Visis autem ipsius in quibus decubuit febribus, ingemuit, & ait. O Pater Adam, quis te tam celeriter excæcauit, vt mandatis Dei Creatoris tui contraires, & tot malis nos omnes peccato tuo subijceres. Ecce post hæc, quæ temporaliter hic patimur, nisi mandata eius seruauerimus, æternaliter pati formidamus. Et erit hoc malũ temporale, initium nobis malorum æternorum. Hoc autem cum dixisset, accipiens scyphum quendam, & vinum in eum fundens, signo crucis signatum benedixit, & tradidit viro decumbenti, dicens. Bibe frater in nomine Domini nostri IESV Christi: & in eo confortare. Qui bibit confidens in Dei clementia, & sancti viri meritis, illico surrexit ab omni febris incommodo penitus liberatus, & iuit ad Ecclesiam S. Stephani laudans Deum. Varios Fabricitantes sanat.

XXII. VIR sanctus Godehardus Monachum quendam de Monasterio suo Altach ad Monasterium Heruelldense secum duxit: qui post, ibidem febrium molestiâ decumbebat. Hunc S. Pater consolationis gratiâ frequenter visitauit. Quodam aũt tempore dixit infirmo: Frater mi, quomodo habes? & infirmus ait. Ecce, Pater, febrium molestia nimium me vexat, ita vt vita quasi nulla amodo sit in me, Et ait ei, vir Sanctus, Dominus noster Iesus Christus maiora pro nobis passus est, quam hæc febrium tuarum possunt esse incommoda. Cui decũbens, ait, scio, Pater mi, scio, quod multo grauiora pro nobis passus est ad mortis amaritudinem tormenta. Et ait S. Godehardus. In nomine Iesu Christi

qui grauiora pro nobis sustinuit surge: & in fratrum tuorum Collegio psallens benedic eum, qui te suo sanguine abluit, & redemit. Et infirmus ait, surgam in nomine Iesu Christi: & ibo ad patrem meum, qui & pater est Domini mei
Luca 15. Iesu Christi: & dicam ei: Iam non sum dignus vocari filius tuus, sed fac mecum misericordiam tuam, quasi cum seruo tuo, sed à via tua deuiante: & ad te clementer suscipe reuertentem. Et, inter hæc verba, surrexit, & ad chorum iuit, & omnibus admirantibus, cum adstantibus laudans Deum, & cantans, benedixit.

XXIII. IVVENCVLA quædam in oppido Teckendorff, in territorio Bauariensi, cum febrium molestia nimium grauaretur, astabant ei quædam honestæ fœminæ, referentes ei qualiter prædictus in Patauia meritis beati Godehardi post haustum vini per eum benedicti à febrium rigore fuerat liberatus. Quibus auditis, dixit infirma patri suo. O mi dilecte pater, rogo te per Iesum Christum, vt mittas ad sanctum virum Godehardum, petendo eum, vt benedicat parum vini in cupha vel scypho suo, & mittat ad me, vt bibam ex eo, vt alleuiar à feruore febrium, quibus incessanter affligor atq; vror. Pater autem his auditis, misit vt voluit, & vinum benedictum accepit à S. Godehardo, quod iuuencala bibit infirma in nomine Iesu Christi; & subitò sanata est, & surrexit laudans Deum: qui meritis S. Godehardi eam clementer à vi febrium liberauit.

S. Godehardus sedulus in visendis infirmis
Psal. 26.
Rom. 8.
2. Cor. 12.

XXIV. SERVVS Dei Godehardus, qui erat ex corde misericors, & super afflictos pia gestabat viscera, infirmorum siue decumbentium, vel per se, aut per alios, semper visitauit domicilia. Contigit autem quodam tempore, cum adhuc in Abbatia Altahensi præsideret, quendam scholarem cuiusdam viduæ pauperis, febrium molestia grauiter infirmari: quem pietate solita sæpius visitauit. Cui & quodam tempore dixit. Fili viriliter age sustinens flagella Domini ac confortetur in eo cor tuum. ipse enim est, qui percutit & medetur, atq; sanat: suos castigans electos, ne morti tradantur sempiternæ. Et iuuenis ait, quæ est fortitudo mea, vt hæc grauia sustineam, & patienter agam? Et pater sanctus ait. Confide, fili, sciens quod nõ sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Et libẽter gloriari velis cum Apostolo in infirmitatibus tuis, vt in te sicut in eo habitet virtus Christi, nam virtus in infirmitate perficitur. Cui infirmus ait. Peto, sancte pater, vt Deum pro misero suppliciter exores. At pater sanctus, pomum in manu habens, (quod forsan secum tulerat, aut iuxta lectum infirmi inuenerat) benedixit, & dedit infirmo dicens. Accipe fili; & manduca pomum, in nomine Iesu Christi, &, si est voluntas eius, de lecto surge sanus: sin autem, maneat hæc infirmitas tibi, & patienter age, vt à Deo præmium vitæ æternæ, in quo æterna est sanitas, valeas promereri. Comedit ille, & surrexit sanus laudans Deum.

XXV. IVVENIS quidam de castro Stanwenborch in Bauaria prope Danubium fluuium pertransire volens, procellis nauem subuertentibus, mergitur in flumen: vbi plus quam tribus horis remansit incognitus, tandem corpus exanime ad littus eijcitur, & mortuus ad domum parentum deportatur. Lachrymantur proximi, & gemunt affines ob mortem tam subitam iuuenis tam famosi. Sanctus autem Abbas Godehardus casu transiens locum illum, & audiens voces vlulantium, ait: O mors quam amara est memoria tua homini, quam subito & inopinatè extinguis: quæ & peccatoribus es pessima, iustis autem nimis desiderabilis atq; pretiosa. Cum autem hæc, & his similia diceret, venit mater misera iuuenis: & ad pedes procidit viri sancti, dicens. Domine, si quid potes apud Deum, miserere mei, & resuscita filium meum. Cui sanctus pater: crede mihi mulier (vt verum est & experientia docet quotidiana) omnes subiacemus mortis imperio, ideoq; Beati mortui qui in Domino moriuntur. Mors enim omnes, qui in mundo viuunt, non vno, sed quasi mille modis sternit. Beatus qui vigilat, & in aduentu præmunitur. Et iterum mulier ait voce lachrymosa. En filius meus vnicus & dilectus, in flumine suffocatus interijt subito; huic timeo damnationem, quia mundanus erat nimis. Rogo igitur pie pater, si quid potes apud Deum, resuscita filium meum: vt tantum sua confiteatur delicta, & sanctis Ecclesiæ Sacramentis muniatur, & post, si Deo placet, in pace, fæliciter, requiescat. Cui vir sanctus, Saluatoris vtens verbis, ait. O mulier magna est fides tua fiat tibi sicut petijsti. Et transiens cum ea ad cadauer in libitina iacens, & tenens manum eius dixit. Adolescens tibi dico surge, & [a] iuuenis surrexit incolumis atq; sanus; & sanctum virum petijt, vt causa Dei, confessionem eius audiret, & pro peccatis suis sibi iniungeret pœnitentiam salutarem, & annuit sanctus Pater petitioni eius, & audita confessione eius, sacris Ecclesiæ Sacramentis eum præmuniuit. Quo facto, iuuenis ait, iube me sancte Pater nunc iterum in pace quiescere; quod mundum nimis horreo, qui suos amatores mittit in gehennam, cuius pœnam grauissimam ex parte sum expertus. & vir Dei ait: Dormi, fili mi, & quiesce fæliciter in pace Iesu Christi, & ille respondit Amen. Et inclinato capite, in gratia Dei fæliciter obdormiuit. Fælix autem mater eius, his auditis & cognitis, semota prorsus omni tristitia, cum gaudio corpus filij Ecclesiastico more tradidit sepulturæ, ac Deo, deuotione, quanta potuit, animam ipsius lætissimè commendauit.

Eccl. 41.
Psal. 33.
Mater filio defuncto optat Ecclesiæ Sacramenta.
[a] Iuuenis resuscitatus post accepta Sacramenta iterum moritur.

XXVI. SANCTVS Pater Godehardus, dum in cella sua post Vigilias matutinas orationis causa resideret, contigit, vt quædam mulier habitans in confinibus Monasterij partu laborando cruciaretur; cui compatiens vir sanctus, terræ procũbens orationi se dedit dicens. O Domine Deus omnipotens, adiuua plasma tuum, miserere filiæ Euæ in matris suæ maledicto laborante. Et illico, modo quodam inopinato mulier conticuit; quia peperit filium: quæ postea obdormiens, ei reuelatum est, quod precibus S. Godehardi à dolore partus sit liberata: quæ gratias egit Deo, qui eam sancti viri meritis tam clementer visitauit; filium autem suum Godehardum vocari fecit, & in puerili ætate, eum tradidit sancto viro regularibus disciplinis imbuendum. Hac igitur de causa mulieres regionis illius in dolore partus S. Godehardi patrocinium consueuerunt inuocare, & multæ petitionis suæ sentiebant effectum adoptatum.

S. Godehardus partu laborantibus opitulatur.

XXVII. CVM S. Godehardus pro negotio forsitan sui Monasterij ad Romanam iret curiam, habens aliquos de suis Monachis secum in suo comitatu, inter quos quidam cæteris senior Erkenfridus nomine incautè procedens, dum montẽ, qui Godehardi dicitur: ascenderet, equus cum eo cecidit, & crus eius dextrum ex toto confregit. Qui gemens cum lachrymis, ait, contra sanctum Dei murmurando, vt quid, pater, me duxisti ad montis ipsius præcipitium, vt me interficeres. Cui sanctus Pater ait. Scio, fili mi dilecte, quod inuitè mecum iter, hoc cæpisti; & intra teipsum, murmurando, mihi detraxisti. Ideo nunc reddita est tibi merces tua. Pænitere igitur & ora Deum, vt dimittat tibi offensam hanc, vt saneris. Qui, ait, adiuua pater infirmitatem meam, & remitte mihi quod deliqui contra te: & crucietur me flagellum Dei, quantum libet. Vir autem Dei, audita eius deuotione, tetigit confractum os cruris eius, & ait. Sanet te frater Dominus Iesus Christus: & tu, in nomine eius surge, vt ambulemus. Qui surrexit ex toto sanus, & vltra profectus cum eo. Idem postmodum secutus est eum Hildeneshem, & mansit apud eum, vsq; ad diem mortis suæ.

Act. 9.
Crus fractum socij sanat.

XXVIII. CONTIGIT quadam vice, vt S. Godehardus pertransiret oppidum Strawigen diœcesis Ratisbonensis: & obuiauit ei quædam cæca mulier mendica ostiatim quærens panem, quæ forsan equorum nitebatur declinare strepitum, & in lapide, lædens pedem, cecidit grauiter nimis. Sanctus autem Godehardus, hoc viso subito descendit de equo, & accurrens, amplexando eam releuauit: &, quantum potuit luti sordidem de mantello mulierculæ tersit diligenter; &, ait, quare cecidisti mater? & illa dixit. Cæca sum, amice: & ideo offendicula viarum cauere non valeo, nec possum deuitare. Sanctus autem pater sibi ex corde compatiens, ait: ô mi Deus meus, quot sunt in terra conuitia & grauamina tui plasmatis. bene ergo dicitur. Væ, væ, væ habitantibus in terra. Et cum dixisset, lutum cum sputo miscuit, more nostri Saluatoris, & liniuit oculos eius dicens. O Dñe Iesu Christe, qui in conspectu discipulorũ tuorum lutũ ex sputo fecisti, liniuistiq; oculos cæci cuiusdam, & vidit: illumina et oculos huius pauperculæ tuæ, vt confiteatur nomini tuo, & glorie-

Ioan 9.
Cæcam illuminat.
Luca 2.

glorietur in prædigna laude tua. His sic actis, & dictis, mulier cæpit sanctum virum intueri; ceciditq; ad pedes eius dicens: Viderunt oculi mei salutare Dei, & prona osculabatur pedes eius; & iuit ad propria, laudans Deum pro virtutibus & meritis sancti viri.

XXIX. In ciuitate Ratisbona, quodam tempore sanctus Godehardus morabatur pro negotio forsan sui monasterij: vbi quædam obsessa à dæmonio ad eum ducebatur, vt sanaretur ab eo. Quam vir Dei inspiciens, ait: responde mihi immunde Spiritus ad ea, quæ à te quæro. Quid hic agis in creatura Dei? At Dæmon ait, pleno iure est anima ipsius mea: quod incantatrix est, & per eam multas animas lucratus sum. Et ait vir sanctus: quare propter incantationem tua est? Et Dæmon ait, nonne legisti quia dominus Pithones, diuinos, & incantatores iussit exterminari? quid enim tales faciunt, nisi quod mihi meisque principibus deseruiunt, Idololatræ enim sunt, vix etiam aliquos tanto iure possidere possumus, quanto huiusmodi vitiis irretitos. Nũquid ignoras, quod inter mille incantatrices aut diuinos, vix vna inuenitur, quæ vel qui, velit hoc vitium confiteri. sic enim ora ipsorum claudimus, vt de talibus loqui nihil valeant quouis modo. Et, ait vir sanctus. Scio, quia magna est malitia tua & tuorum similium; nec tamen dubito, quod maior bonitas Dei est & clementia. Ergo, immunde Spiritus, da honorẽ Deo, & recede ab hac creatura eius, vt redeat ad gratiam, quam tu ab ea abstulisti. Et Dæmon, ait, cur me in tantam agis violentiam? quid feci tibi? aut quid habes contra me? Et ille ait, audi proterue & immunde Spiritus. In illa æterna patria, de qua tu superbiens cecidisti, tanta mihi erit lætitia de bono communi, vt de meo proprio: imo & multo maior. Et ideo hic dolere conuenit de malo alieno multo fortius, quam de malo proprio. Per hoc enim vitam æternam promerebor: habeo ergo contra te iustam causam, quod minus iustè possides, & punis sororem meam, plasma Dei creatoris tui. Non enim vt asseris, ago tibi violentiam: sed pro gloria Dei & amore plasmatis eius, pro quo, vnigenitus eius sanguinem suum fundens, amarissimam mortem sustinuit, contra te pugil, sed victor gloriosus. Ergò, tibi præcipio, superbe & immunde Spiritus, in nomine Iesu Christi recede ab ea; & non præsumas amodò creaturam Dei molestare. Et sic Spiritus ille malignus abscessit: & mulier, vt mortua cecidit. Sed vir sanctus subitò eam erexit: erecta verò publicè vitium incantationis, quod dudum multoties

Sagæ crimẽ suum cur non fateantur.

Magis dolendum de malo alieno quam proprio.

Obsessa liberatur.

XXX. perfecerat, cum lachrymis est confessa: quam & vir sanctus absoluit virtute passionis Iesu Christi.

In ciuitate Patauia erat quidam ciuis diues valde, qui habuit filium, quem tenerrimè dilexit; qui puer adeo hebes erat, vt in tribus annis non potuerit efficere, vt disceret minus alphabetum. Vnde pater eius sanctũ Godehardum adijt, retulitq; ei duritiam cordis filij sui, petens obnixius, vt pro eo supplicter orare dignetur: quatenus Deus omnipotens eum illuminare dignaretur. Sanctus verò Godehardus, vocato ad se puero, super eum legit, quæ sequuntur. Omnis sapientia à Domino Deo est, cum collecta, Deus qui per coæternam tibi sapientiam, hominem cum non esset condidisti, &c. & addidit. Vade fili; & ille magistrorum optimus, qui subito docuit Apostolos, te instruat, & in via recta ad agnitionem perducat clariorem. Qui puer ita mutatus est, vt in breui tempore omnes suos consanguineos, & omnes sibi coætaneos, imo seniores atq; doctiores se, sapientiæ plenitudine anteiret; qui postea propter intellectus & sapientiæ profunditatem, in Episcopum Patauiensem est electus atq; ordinatus; vnde sibi & subditis pro animarum salute instantissimè laborauit. Sequens miraculum factum est, cum esset Episcopus.

Hebes puer oratione S. Godehardi redditur docilis.

XXXI. Accidit, vt sanctus Præsul Godehardus, quosdam de suis subditis, ob eorum rebellionem, post monitiones consuetas excommunicaret: quorum aliqui, malitiæ suæ veneno excitati, ipso celebrante, Ecclesiam intrauerunt arroganter & proteruè. Quo cognito, se diuertit ab altari dicens. Præcipio vobis omnibus, qui estis excommunicati, in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, vt exeatis de Ecclesia. Rebelles autem & excommunicati hoc præceptum non curantes, perstiterunt, remanentes in Ecclesia. Sed quidam de mortuis, qui multis annis quieuerant in monumẽtis, qui & forsan, ignorantibus eis, qui eos sepelierunt, in excommunicatione sepulti fuerant, surrexerunt, & de Ecclesia exierunt. Quod videntes illi rebelles, erubuerunt; & post mortuos exierunt. Sanctus autem Præsul finita Missa, ad eos exiens dixit. Audite rebelles, & increduli; & videte iustum Dei iudicium contra vos. Ecce mortui Deo in suo vicario obediunt, vos autem superbo referti spiritu, obedire contempsistis. Surgent igitur mortui isti contra vos in iudicio, & sententiam damnationis allegabunt contra vos, nisi plenam & condignam pœnitentiam egeritis. Et, his dictis, conuertit se ad mortuos dicens. Ego vos, fratres, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, absoluo à sententia excommunicationis, qua huc vsq; fueratis innodati, in nomine Patris & Filij & Spiritus S. Amen. Ite, reuertimini ad loca vestra, & in pace requiescite, aduentum iudicis præstolantes. Mortui autem, inclinatis capitibus, & iunctis manibus, quasi gratias agentes ad loca sua remeauerunt, & quieuerunt.

Mortui in excommunicatione sepulti surgentes exeunt de Ecclesia.

CANONIZATIO ET TRANSLATIO SANCTI GODEHARDI.

I. Gloria summo Creatori, & humani generis reparatori, qui non nostris meritis, sed sua immensa bonitate, dignatus est Confessorem suum beatum Godehardum Pontificem, ad salutem omnium credentium hominibus nostri temporis reuelare, & eum, qui pro longinquitate temporis, iam quadam nube obliuionis obfuscatus fuerat, vt tandem ab incolis nostræ Ecclesiæ veneraretur, voluit nationibus diuersarum terrarum manifestare; vt gloria ipsius non tantum ad domesticos fidei attingeret, sed etiam in exteras nationes se dilataret. Qualiter autem, & quo ordine, [a] translatio prædicti Confessoris nostri facta fuerit, nõ turgido eloquio; vel nitens grandi cothurno, sed simplici stylo aggredior describere: non confisus ingenij mei igniculo, sed illo Euangelico dicto. Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Et iterum. Non vos estis, qui loquimini; sed Spiritus patris mei, qui loquitur in vobis. Per scripturas enim res præteritæ, & breui tempore in obliuionem tradendæ, ad memoriam reuocantur, & per res virtuosè in Ecclesia gestas, cum leguntur, fideles accenduntur, & torpores mentium discutiuntur.

Huius canonizationis author alius quam vitæ, illo 80 circiter annis posterior.

[a] Translationem indifferenter pro canonizatione vsurpari notat Brovverus.

Vel 80 Eat. 10

II. Anno Dominicæ Incarnationis MCXXVIII. obitus verò beati Godehardi nonagesimo, Bertholdus vir venerandus, & in omni Ecclesiastica religione perspicuus, vtpote scientia literali admodum eruditus, & morum honestate valde decoratus, Cathedræ nostræ Ecclesiæ præsidebat, quam discretè gubernando, & religiosos viros vndiq; ex diuersis Ecclesiis ad se colligendo, adeo sublimauit, vt diuersas Cellas, suis temporibus, ædificaret, & in spiritali conuersatione, dulci adhortatione, confirmaret. Quo residente, in communi conuentu cleri sibi commissi, & de populi Ecclesiæ nostræ vtilitate, vti mos eius erat, semper pertractãte, Deo faciente, vti post effectus indicauit, ex improuiso sermo de patrono nostro beato, scil. Godehardo exoritur, item atq; item à pluribus replicatur, conquerentibus & condolentibus, se tam misericordem habere patronum, & condignum sibi in Ecclesia Dei non exhiberi honorem. Nam, quantam misericordiam & quam manifestam gratiam prædictus Confessor fratribus nostris, suis meritis apud Deum obtinuerit, ab ipsis viris auctorabilib. in prędicto conuentu existentibus, omnibus manifestatur: per q̃, mentes assidẽtium omnium non solum exhilarentur, sed, qualiter laudes ipsius in Ecclesia Dei multiplicentur, vnanimiter omnes accenduntur. Prædictus enim Antistes noster Bertholdus priuatam gratiam sibi à Patrono nostro concessã, omnib. assiden-

Bertholdus Haldenesheimensis Episcopus & eius encomium.

*Compunctione.

Bertholdi in puericia casus, circa sauciatũ ab se lancea.

sidentibus indicauit, & qualiter eum pium intercessorem apud Deum esse cognouerit, non sine contritione* cordis fratribus nostris enumerauit. Nam, tempore iuuentutis suæ, cum ipse inter cæteros adolescentes ludicris rebus esset intrẽtus, contigit, vt ipse in suburbio nostrę ciuitatis, quendam laicum non voluntariè lancea perforaret, & eum, quasi mortuum ad terram prosterneret: qui, quasi semiuiuus domum deducitur, lecto affigitur, & vsq; ad mortem periclitatur. Sed præfatus Antistes noster dolens, & mœrens, in diuersa rapitur, se sacris ordinibus, quasi homicidam esse repellendum, angustiatur, & ita in diuersas cogitationes, animus ipsius inuitatur. Tandem nutans quasi nauis deprehensa in fluctibus maris, ad Patronum nostrum beatũ Godehardum, vt ad portum tutum se dirigat, spem suam in eum quasi anchoram in firmum littus infigit, vt ab imminente anxietate eum eriperet, corde contrito, & humiliato spiritu, postulauit: Sed vir vulneratus, dum iam esset in agone positus, ipse fide firmus ad sepulcrum sancti Patroni nostri se prostrauit, totamq; noctem in oratione pernoctauit, & magis rugitu cordis, quam porpalatione vocis, misericordiam implorauit. Sed tandem prope termino noctis, vigilijs defatigatus, & dolore conturbatus, quietem intrare compellitur. In qua ei & statura & forma patroni nostri in visione, quantum tamen quam in hac vita viderat, certissimè manifestatur. Nam, dum adhuc esset inter vigilias & adultam quietem, persona Patroni nostri ei in visione apparuit, vt Missarum solemnia celebrari faceret, ei diligentissimè indixit, & vt, officium, Ne timeas Zacharia, exaudita est oratio tua, decantari faceret, continuò adiunxit. His visis, excitatus orationes suas magis ac magis continuare instituit: sed in via nuncium suscepit, qui certissimè ægrum euasisse mortem, nunciauit. His auditis, corde & animo exhilaratus, Deum cœli benedixit, qui nobis talem Patronum in Ecclesia nostra reseruauit.

Supplicatio eius ad S. Godehardi sepulcrum.

Iubetur Missarum solẽnia procurare

Saucius cõualescit.

Adelberti narratio de pollice sibi curato.

III. Fvit verò tunc temporis in conuentu nostro Sacerdos quidam religiosus, Adelbertus nomine, qui regulari vita in Cella beati Battholomæi, quæ sita est in Orientali plaga nostræ ciuitatis, viuebat: qui, cum audisset quæ Præsul noster narrauit, videns tempus idoneum, & ipse sibi gratiam à Domino collatam Patrono nostro, omnibus intimauit. Dum enim ipse quadam nocte patrocinia Sanctorum implorando, altaria nostræ circuiret Ecclesiæ, tandem iuxta sepulchrum beati Confessoris se prostrauit: sed surgendo manu indiscretè, tenendo sarcophagum eius, se subleuauit: & illico pollex eius de propria iunctura emarcuit. Videns autem iam sese manu debilitatum, supplex & gemebundus se ad terram prostrauit: veniam & misericordiam à beato Godehardo postulauit. Et statim in proprium locum sine mora & læsione, pollex resiluit.

Reinardi Magistri relatio de puero epileptico sanato.

IV. Avdiens hæc Magister quidam de monte sancti Mauritij, Reinardus nomine, vir prouectæ ætatis: & ipse manifestam gratiam Patroni nostri expertus, cum oportunum videret, non eam subticuit, sed omnibus in conuentu nostro existentibus euidenter patefecit, dicens. Fuit enim puer quidam custodiæ ipsius addictus, in Clericali arte erudiendus, qui epileptico morbo, quem vulgari nomine caducum appellant, adeo vexabatur, vt quotidie sexies ad minus ad terram prosterneretur, & vsq; ad mortem, nimiâ fatigatione periclitaretur. Hic quadam die ad patrocinium beati Confessoris nostri deducitur, sed in via bis ad terram prosternitur. Orationes ad tumbam ipsius, pro eo funduntur: eleëmosynę pauperibus largiuntur, & perfectè sanatus in domum ipsius regreditur. His tribus signis in communi conuentu ab auctorabilibus viris recitatis, omnes hilari mente percipiunt, ipsum Antistitem nostrum, quod voluntariè per se faceret, instigant, vt omnibus modis elaboraret, qualiter beatum Pontificem nostrum Godehardum inter cæteros Sanctos Dei canonizaret. Sed dum in rebus minimis, ne dum in maximis, in quibus lætum expectamus finem, diuinum inuocandum sit auxilium, placuit omnibus, vt speciales vbique in Ecclesia nostra funderentur ad Deum pro hac causa preces, nẽ quid in cassum vel inconsultum, contra nutum Domini inciperemus, quod ad bonum effectum perducere non valeremus. Igitur statutum est, vt omnes tam maiores, quam minores, finita matutinali hora, ad tumbam ipsius beati Patroni nostri Godehardi conuenirent, & sese humiliter ad terram prosternerent: & Psalmum, Benedixisti Domine terram tuam, corde contrito & humiliato, Domino decantarent. Statutumq; est, vt in singulis cœnobijs, in territorio nostræ Ecclesiæ constitutis, speciales pro eo fierent orationes & eleëmosynarum largitiones: quia impossibile est multarum non exauditi voces orationum. His ergo, aliquanto tempore peractis, Ecclesia nostra noua tribulatione concutitur. Nam prædictus Pater noster, prô dolor, nobis ex hac vita subtrahitur: & omnis Ecclesia nostra tanto pastore desolata conturbatur. Sed qui consolatur miseros in tribulatione sua, Deus, non permisit Ecclesiam suam in fluctibus huius sæculi sine gubernatore diù fluctuare, sciens, quia vbi non est gubernator, corruet populus, nam omnis Ecclesia nostra simul coadunata Bernardum summum Præpositum, virum omni clericali scientia erudi- Prou. 11.
tum, & moribus optimis decoratum, communi consensu cleri & alacritate populi, reclamantem, & omnibus modis renitentem, seq; indignum vociferantem, in spiritualem Pastorem elegit: & vsq; ad cathedram summi sacerdotij perduxit. His ita gestis, causa Patroni nostri, quæ propter tribulationes nostras iam aliquantulum deciderat, redintegratur: & quo ordine ad effectum perduceretur, ab omnibus elaboratur.

De Canonizatione S. Godehardi tractare incipit.

Orationes & Eleemosynæ decretæ.

Bertholdi Episcopi mors, cui successit Bernardus ex Præposito summo. An. 1130.

Canonizatio cur lege sancita.

V. Sed cum Canonicâ censura, propter illusiones dæmonum, quæ frequenter in Ecclesia Dei in talibus contigerunt, statutum sit, ne quis sine Apostolica auctoritate, & vita ipsius, per viros auctorabiles approbata canonizaretur, quod tamen in præcedentibus, tum propter difficultatem, tum propter longinquitatem itineris, causam nostram valde retardauerat, factum est, Deo annuente, vt quod ante, sine magna impensa, ac summo labore, non poterat ad effectum perduci, id nobis quasi ante ostium inopinate deferri. Nam in Leodicensem ciuitatem curia indicta est, vbi Innocentius Papa cum Romana Ecclesia, & magna parte Galliæ, cum Lothario rege & ferè vniuersis Episcopis Theutonicæ regionis conuenerunt: vt de violentia Romanæ Ecclesiæ per Petrum Leonis perpetrata, qui tum temporis Papatum sibi violenter vsurpauit, pertractarent: & qualiter illud idolum in templo Domini positum, destruerent, elaborarent. Factum igitur est, vt ad Dominicam Lætare Ierusalem, ad prædictam ciuitatem multi Catholici viri tam cum Apostolico, quam cum Rege conuenirent, & de communi statu Ecclesiæ pertractarent. Inter quos præses noster [a] Bernardus cum Maioribus nostræ Ecclesiæ assistens, videns oportunitatem vltro sibi collatam, ipsum Apostolicum cum omni curia Romana aggreditur: vitaque Pastoris nostri coram ipsis recitatur: & vt per eum in Ecclesia Dei canonizetur, deuotissimè preces funduntur. Sed cum consuetudo sit Romanæ Ecclesiæ in generali [b] Concilio, Sanctos Dei canonizare, quod tunc temporis in Remensem ciuitatem in festo sancti Lucæ indictum fuerat, accepto consilio, petitionem Ecclesiæ nostræ vsque in prædictum locum distulit: ibique diffiniturum certissimè promisit. His ita gestis, Antistes noster, Apostolica promissione animatus, lætus regreditur, & ab omnibus deuotè suscipitur, & quæ sibi responsa sint, enarrantur. Tunc [c] omnes audierunt, quæ per Apostolicum promissa sunt, vnanimiter lætantur, precesq; apud Pontificem nostrum deuotissimè funduntur, ne se tantæ promissioni subtrahat, sed licet laboriosum sit, ipse se tamen vna cum Maioribus Ecclesiæ nostræ ad indictam Synodum repræsentet. Iam dies aduenerat, in qua Synodus vniuersæ* Ecclesiæ [d] Citramontanæ indicta fuerat. Tum verò præfatus Antistes [e] noster Bernardus vna cum Metropolitano Magdeburgense Norberto, qui tunc temporis in Ecclesia Dei magni nominis fuerat, & Maioribus Ecclesiæ nostræ, ad præfatam Synodum iter instituit, &, Deo annuente, cum magna prosperitate & oportunitate ad Remẽsem locum

Innocẽtij II Papæ & Lotharij regis conuentus Leodij 1131.

[a] Bernardus Episcopus Hildenesheim. cum suis agit Leodij.

[b] Canonizatio olim in Concilio generali peragi solita.

[c] Studium & alacritas Hildenesheimensium erga cultum Sanctorum. * *vniuersali.* [d] Synodus Rhemensis. [e] S. Norbertus & Bernhardus Hildenesheimen. ad eam proficiscuntur.

locum peruenit. Vbi honorificè susceptì, dum iam Synodus aliquot dies esset celebrata, Antistes noster Bernardus Apostolicum Innocentium cum suis Cardinalibus conuenit, & de causa Patroni nostri beati Godehardi vsque eo induciata, deuotissimè submonuit. Sed, Deo annuente & id faciente, omnes vnanimes, & concordes in sua petitione inuenit: vt post ipsa res indicauit. Nam postera die cum in Synodo generali Apostolicus resideret, nullo admonente, sed Deo faciente, Apostolicus ad omnes luculentam orationem habuit, in qua disertissimè petitionem nostræ Ecclesiæ de Patrono nostro exposuit: &, vt assensum præberent, deuotissimè postulauit. His ita gestis, [a] Episcopus Tarraconensis vir religiosus, & literali scientia eruditus, quo ordine Translatio fieri deberet, exposuit: scilicet, si ea quæ dicebantur de Patrono nostro, Ecclesia nostra per legitimos testes ac iuramento, comprobaret. His verò verbis, Apostolicus se interposuit: & se, à Principibus terræ nostræ adeo in [b] Leodicensi Ecclesia certificatum fuisse, asseruit, vt non opus esset id secundo testificari, quod lucidius sole posset comprobari. Auditis autem, quæ [c] ab Apostolico dicebantur, omnes vnanimiter, vt canonizetur, assensum præbent: & vt laudes Domino persoluantur, admonent, qui dignatur seruos suos ab infirmitate huius carnis eripere, & inter sanctos & electos suos collocare. Continuò, Te Deum laudamus, canitur: laus omnipotenti Deo persoluitur: & sic demum coadunata Synodus terminatur. Tum verò [d] Antistes noster, munitus Apostolicis literis, ad nos vsq; regreditur, & à clero & populo benignè suscipitur: literæq; Apostolicæ reserantur: quibus recitatis, Deo laudes persoluuntur. Tenor vero Apostolicæ concessionis sequitur in hæc verba.

Innocentius ipse refert ad Synodum de S. Godehardo.

[a] Episcopus Tarraconensis postulat processum.

[b] Innocentius acquiescit notitiæ facti Leodij exhibitæ.

[c] Godehardus à Papa cultus.

& Concilio approbatur Sanctus. [d] Bernardi Episcopi reditus, & annunciatio

VI. INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis, Clero & populo Hildenesheimensi, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Veniens ad nos venerabilis frater noster Bernardus Episcopus vester, in plenaria Synodo, quæ Remis per Dei gratiam fuerat cõgregata, attestatione fratrum nostrorum, Episcoporum & Abbatum & aliorum, qui secum venerant, sanctæ memoriæ Godehardum Episcopum vestrum laudabiliter vixisse in mundo, & tam in vita, quam post mortem multis miraculis coruscasse, asseruit. Vnde nos, cum fratribus nostris, omnipotenti Deo gratias referentes, habito eorum consilio, & collaudatione, quia, eundem in cœlis cum Sanctis credimus coronari, ipsum inter Sanctos honorari præcipimus: mandantes vobis, & eidem beato viro, solennitatem in vestra Ecclesia statuatis: & ad eam annualiter conuenire, curetis. Data Remis IV. Kalend. Nouembris.

VII. SED quia tunc hybernum tempus imminebat, nec ad tantum negocium se expedire valebat, visum est congruum, quæ per Apostolicum concessa sunt catholicis & religiosis viris nunciari: & ipsam Translationem vsq; in quartum Nonas Maij differri. Et iam tempus aduenerat, cum tam celebris rumor, scilicet de Translatione tanti Patroni in nostram ciuitatem plures tam religiosos, quam promiscui sexus homines coadunabat. His visis, consilium in communi cõuentu capitur, qualiter cautè, sine turbatione transferatur: ne aliquod scandalum Ecclesiæ nostræ inde oriatur. Nam fuêre quidam religiosi viri admodum timentes, propter longinquitatem temporis, vel corpus non inueniri, vel nullum indicium sanctitatis reperiri. Sed tandem, post multas disceptationes, in hoc omnes conueniunt, vt remota multitudine, ante matutinales horas, omnes conueniant: & sic tumbam, in qua positus fuerat, cum omni deuotione aperiant. Mediæ ergo noctis tempore Antistes noster, vna cum religiosis viris, tam Monachis, quam Regularibus sibi coadunatis, cum magno timore ac tremore, cryptam nostræ Ecclesiæ subijt, & sarcophagum, in quo positus fuerat noster Patronus, aperiri præcepit. Ipseq; cũ cæteris fidelibus, orationibus interea deuotissimè institit: sed vbi summus labor in frangendo sarcophago antea visus fuerat, iam, Deo faciente, illico se aperiebat: & aditum facillimum ad corpus præbebat. Tum verò, aperto sarcophago, quantas lacrymas astantium aspiceres? quos singultus audires? quam spiritalem dispositionem corporis ipsius prospiceres? quis vel sermone, vel stylo exprimere valeat? Quid plura? Diuinus quidam, & incognitus odor fragrabat, qui quosdam astantes, quasi quadam spiritali dulcedine refocillabat: & in perfecta fide sanctitatis ipsius, eos corroborabat. Tum verò, videres omnes sese humiliter excusare, seq; esse indignos tanti patroni corpus attingere: cum nouerint, vitam suam longè ab eius sanctitate discordare. Tandem, omnibus cunctantibus, & longam moram facientibus, per fratrem nostrum Præpositum Bertholdum corpus subleuatur, & propter multitudinem populi, quæ ad tantam rem videndam conuenerat, in secretum Sacrarij nostri deportatur. Sed hæc hactenus dicta sufficiant, qualiter sit B. Godehardus translatus. Nunc superest charitati vestræ intimare, qualiter per eum mundus sit illuminatus, & vsq; ad remotissimas gentes & Paganissimas exaltatus. Nam ex longinquitate temporis merita vitæ ipsius fuerunt penè * abolita, & paucis tantummodò cognita, quæ per translationẽ corporis ipsius, euidentissimè omnibus sunt manifestata. Tot enim Dominus per eum fecit miracula, vt nec lingua valeant exprimi, vel scriptura. Vt autem quæ sunt notiora & manifestiora, aggredior describere, vt in eis posteritas de patrocinio tanti Patris possit considere.

S. Godehardi sepulcrũ aperitur. An. 1132.

Odor diuinus quidã inde exspirat.

Bertholdus præpositus sancti corpus leuat.

* *obliuioni tradita.*

IX. NAM ipsa die translationis, cum corpus ipsius, vsq; ad montem S. Mauritij cum magna reuerentia cleri & populi deferretur, contigit, quendam flumen, quod præterfluit ciuitatem nostram, incidisse: & longo tempore, sub vndis morantem omninò expirasse. Hic dum corpus Patroni nostri ad eum appropiat, vitæ priori restituitur: &, domino opitulante, sanus & incolumis à terra subleuatur. Qui postea per multa tempora in famulatu Patroni nostri apparuit, & pro vita restituta non ingratus, Deo extitit.

S. Godehardus transfertur ad montem S. Mauritij.

Mersus flumine vita restituitur.

IX. His verò auditis, Ecclesia nostra non statim & indiscretè acquieuit, sed aliud certius & manifestius miraculum humiliter expectauit. Postera vero die, cum dies anniuersarius Patroni nostri illuxisset, finita missa, & horis constitutis, mulier quædam muta habens filium priuatum lumine, subitò, quasi in extasim rapitur, ac per horam paruam, in terra volutatur. Transacto verò aliquanto tempore, matri lingua reseratur, lumen puero restituitur: & manifestum esse miraculum, omnibus comprobatur. Nam fuere in ciuitate nostra tunc temporis quidam viri auctorabiles de Corbeia, ipsius mulieris comprouinciales, qui eam cognouerunt, & verissimè eam mutam, filiumq; eius lumine priuatũ, longo tempore fuisse, nunciauerunt. His auditis, Ecclesia nostra tam clerus quam populus in vnum coadunantur: laudes creatori persoluuntur, qui nouit electos suos ab omni ambiguitate absoluere, & in perfecta fide solidare. Signa enim debentur infidelibus non fidelibus, vt per miracula & inusitata confirmentur in his, quæ à sensibus nostris & memoria sunt remota. Vix laudes de miraculo prædicto Deo persoluuntur, cum claudus quidam, qui longo tempore contractus fuerat, se subito erigebat: & pedem, firmo gressu terræ affigebat. Sicq; factum est vt ipsa die anniuersarij Patroni nostri infra basilicam nostram quinq; miracula contingerent: quæ omnibus manifesta fuisse, appareret. Cæcus enim videt, mater ipsius loquitur. Claudi tres potestatem ambulandi receperunt. His ita gestis, rumor & fama patroni nostri propter frequentiam multitudinis, quæ ad Translationem tanti viri conuenerat, magis & magis innotuit, & sese in omnes comprouinciales terras dilatauit. Vnde factum est, vt tãta multitudo hominum patrocinia * Pastoris nostri implorantium in ciuitatem nostram cõflueret, quantam nullus hominum nec antea in Ecclesia nostra vidit, nec, vt arbitror, deinceps videbit. Nam omnes habentes infirmos, languidos, claudos, surdos & mutos, nec non & dæmoniacos, vel quouis morbo detentos vsq; ad Patrocinium Pastoris nostri pro recuperanda sanitate deferuntur.

Muta linguæ, cæcus oculorum vsum recipiunt.

1. Cor. 14.

Claudi tres sanari.

* *Patroni.*

X. CONTIGIT vero circa idem tempus, quod quidam viri auctorabiles de Turingia adueniunt, qui suum pastorem vna manu debilem secum adduxerunt. Hi, vt patrocinium beati Godehardi implorauerunt, illico sanitatem recepit,

Manus arida restituitur.

cepit, & manum debilem erexit. Quo facto, omnes vnanimiter laudes Deo referebant: & in signum veritatis, manum manui comparabant. Nam manum, qua pastoralem virgam ante tenebat, rugosam & induratam inuenerunt: alteram verò, cum qua non laborauerat, candidam & mollem repererunt.

Mutus loquelam recuperat.

HIS ita gestis, matronæ quædam ab eadem terra vsq; ad nos peruenerunt, ducentes secum mutum longo tempore loqui nõ valentem; quæ dum orationibus insisterent, ac pro ipso, patrocinium B. Godehardi implorarunt, subito vinculum linguæ est ruptum: & officium ipsius per misericordiam est restitutum. XI.

Claudus à Vicedomino Etfortensi missus sanatur.

FVIT vero tunc temporis Erpisfurdiæ Vicedominus, habens pro misericordia Dei claudum, & penè omnibus membris debilitatum Eleëmosynis suis addictum: quem, auditis miraculis, quæ per patronum nostrum fiebant, vsque ad patrocinium ipsius in Ecclesiam nostram direxit. Et sicut credidit, sic per misericordiam Dei recepit. Nã quem debilem & omnino incedere non valentem, vsq; ad nos transmisit, Deo adiuuante, sanum & incolumem suscepit. XII.

Alius item curatus.

FVIT verò circa idem tempus in Cella B. Paulinæ, multo tempore quidam claudus, omnibus notus & manifestus. Hunc potens quidam de Turingia per licentiam Abbatis ad se recepit: &, quæ corpori necessaria fuerant pro misericordia domini ipsi erogauit: hic ad patrocinium B. Godehardi peruenit, & integritatem corporis percepit. XIII.

Puellæ gibbus adimitur.

FVIT etiam tunc temporis in Turingia puella quædam gibbosa, in dorso valdè curuata. Hæc veniens ad patrocinium B. Godehardi, per misericordiam Dei est erecta, & quod raro fieri solet, gibbo est omnino priuata. XIV.

Item vito.

VIR quidam ab eadem terra natus, per misericordiam domini & B. Godehardi, ab eodem morbo est liberatus. Iisdem vero temporibus fuit matrona quædam in Hassia, omnibus comprouincialibus nota, & maximis infirmitatib⁹ per multa tempora detenta. Hæc cum nihil iam præter mortem speraret, tandem patrocinium B. Godehardi humiliter implorauit: seseq; ad terram prostrauit, & miro modo sanitatem recepit. Nã & in inguine vbi antea caro sãa fuerat, subito se aperuit, & duos lapides tantæ magnitudinis, quantæ in humano corpore nemo prius viderat, subitò emisit. Quo facto, vnum secum in signum miraculi, vsq; ad patrocinium B. Godehardi in Ecclesiam nostram detulit: alterum vero in signum virtutis Dei domi reseruauit. XV.

Calculosa liberatur.

CIRCA idem tempus contigit in Turingia insigne miraculum, & dignum memoriæ tradendum. Nam duo viri, prô dolor, mala societate coniuncti, furtum quoddam peregerunt: & pelles cuidam surripuerunt. Factum est ergo, vt vterq; caperetur, & ad iudicium traheretur. Sed cum iam vterq; conuicti suspenderentur, alter ipsorum toto corde ingemuit, &, quod solum poterat, corde contrito, & humiliato patrocinium beati Godehardi implorauit: alter vero, quasi desperans nulli petitioni institit, vel vocem compunctionis emisit. Factum est igitur, vt vno fune colligarentur; & vno ramo suspenderentur: quo facto, alter spiritum illicò emisit, alter verò, qui patrocinium beati Godehardi implorauerat, sine læsione & molestia pependit. Sed iam longo spatio horarum transacto, ille cuius pelles fuerant, propius accedens, & videns alterum expirasse, huic, quem adhuc viuere putauit, in hæc verba prorupit. Quærebat enim, si viueret, aut si vitam retinere potuisset. Ille verò sperans sibi adiutorium aduenisse, confessus est & se viuere & nullum dolorem sentire. Hoc audiens, qui eum suspendi fecerat, magnam inhumanitatem ei intulit. nam fune, quo suspensus fuerat tornato, firmo nisu, ad terram corpus depressit: & sic spondilia colli se fracturum sperauit: quo facto, statim discessit: & omnem voluntatem suam se iam adimplesse non dubitauit. Factum est autem post discessum eorũ longo tempore, vt prædictus vir, manus post tergum ligatas dissolueret, & pannum præ oculis ligatum disrumperet, & sic tandem funem, quo suspensus fuerat, confringeret. Ad terram verò prostratus, videns se nullam læsionem habere, in fugam se conuertit, & syluam, quæ vicina erat, cum festinatione introiuit. Hoc videntes quidam, qui non remotè discesserant, eum admirantes prosequuntur, & rogantes eum syluam exire, & nihil nisi bene de eis sperare. Qui tandem adhortatione ipsorum confortatus, syluam exiuit, & cum eis magnificans & glorificans Dominum, vsq; ad Ecclesiam peruenit. Hic posteà, ad patrocinium beati Godehardi venit: &, quæ sibi per misericordiam Dei & beati Godehardi contigerant, contestantibus ciuibus suis, qui plures vna secum aduenerant, nobis omnibus enarrauit. Quot vero suspensos & iam in articulo mortis Deus per merita beati Godehardi liberauerit, longum esset per singula describere, maximè, cum funes quibus suspensi fuerant, omnibus in Ecclesiam nostram aduẽtantibus possint demonstrari. XVI.

Furope S. Godehardi laqueum conterit.

S. Godehardus suspendiosos multos liberauit.

Mulier appetentiam cibi recuperat.

TVNC temporis duæ mulieres de longinquo ad patrocinium beati Godehardi venerunt, quæ gratiam sibi ab eo collatam deuotissimè nobis omnibus narrauerunt. Nam altera post immensam infirmitatem, omnem appetitum cibi & potus amisit, adeò vt nec cibum nec potum infra duos menses sumpserit. Videns autem, se vitam sic longo tempore non posse retinere, misericordiam beati Godehardi implorauit, & pristinum statum recepit. Altera verò, cum longo tempore, lumine esset priuata, in via, in qua ad patrocinium beati Godehardi pergebat, est illuminata. XVII.

Alia visum.

Dæmoniacus curatur.

FVIT verò ijsdem temporibus in Mindensi Episcopatu vir quidam Dæmoniacus, adeò obsessus, vt vix plures eum retinerent, quin seipsum interimeret, & alios neci traderet. Hic tandem manibus post tergum ligatis, & pedibus concatenatis, per parentes suos ad patrocinium beati Godehardi deducitur, eiusq; auxilium, ab omnibus, humillimè imploratur. Dominus verò suus Hezelinus nomine, videns summam eius vexationem ac maximam tribulationem, misertus eius, ipsum manumisit, ac seruum beato Godehardo tradidit: quo facto, statim sanitatem recepit, & cum parentibus suis, solutis vinculis, integer & incolumis, domum remeauit. XVIII.

Pœnitenti lorica ferrea de corpore excutitur.

SVB eodem tempore venit in Ecclesiam nostram vir quidam magnæ pœnitentiæ & austeritatis, qui per multa tempora carnem suam vigiliis & ieiuniis domauerat: adeò vt & loricam indutus ad carnem portaret. Hic, cum deuotè coram Patrono nostro orationibus insisteret, multis videntibus per gratiam Dei, lorica quasi tela araneæ dirupta est: & vsq; ad terram dilapsa. O virum omni laude dignissimum, cuius meritis & vincula peccatorum disrumpuntur, & ligaturæ ferreæ dissoluuntur. XIX.

*VVuntrif turpe.

Abbatissa de Wunstorff claudum ab se adductum, recipit sanum.

HABEBAT tunc temporis Abbatissa de *Wunstorff claudum quendam valde debilem, qui omnino os in genu amiserat, & crus, in quamcunq; partem volebat, quasi sine iunctura, vertebat. Tunc Abbatissa, cum tanta miracula per Patronum nostrum fieri perciperet, secum prædictum claudum vsq; ad limina Patroni nostri perduxit, & Deo faciente, sanum & incolumem reduxit. Sed, cum ad Ecclesiam sibi commissam remearet, cum hymnis & laudibus eum reduxit, referens gratias Deo pro omni dono sibi collato. XX.

Puer debilis omnib. membris restituitur.

HÆC videns mulier quædam minus religiosa, nec Dominum timens, in hæc verba prorupit, se nunquam velle patrocinia beati Godehardi implorare, nisi puerum quendam omnibus membris debilitatum, quem tunc temporis in platea reptantem vidit, recto gressu videret incedere. Factum est igitur, vt parentes ipsius pueri, post paucos dies ad patrocinium beati Godehardi eum deferrent, & factis orationibus pro ipso, sanum & incedere valentem reciperent. Quod postquam vidit præfata mulier, ex verbis temerariè prolatis, corde contrito, & humiliato pænituit: & se visitaturam Patronum nostrum, Domino fouit, hoc facto, ex imo cordis suspiria duxit, cõsiderans sibi necessaria vitæ deesse, vel vnde pueris ex se genitis domi possit prouidere: quæ dum sic anxiaretur, factum est, vt parvulus ipsius inscius domum egrederetur, portans panniculum, quem in platea inuenerat: in quo mater nouem nummos, quasi nesciente puero, quid ageret, reperiebat. His ita gestis, laudes Deo & B. Godehardo persoluit, qui & ipsam ab anxietate eripuit, & omnem dubietatem à corde ipsius extirpauit. XXI.

Mulier egena nummis repertis sustleuatur.

CIRCA

XII. CIRCA idem tempus fuit puer in Episcopatu Mindensi in villa, quæ Lanesberge appellatur, claudus, & miro modo contractus; hunc parentes ipsius, licet pauperes ad patrocinium beati Godehardi adduxerunt, & pro eius sanitate recuperanda, deuotissimè misericordiam ipsius implorabant. Sed cum aliquantulam moram facerēt, nec vllum profectum in puero viderent, ad proprias mansiones redire parabant; quia se exauditi deinceps dubitabant. Sed dum propè ad villam, quę Runeberge appellatur, venissent, & in quodam prato se quieturos disposuissent, in lachrymosa verba proruperunt; conquerentes, se in multa tribulatione ad patrocinium beati Godehardi venisse, sed nullam gratiam in puero suo percepisse. Qui, dum sic colloquerentur, subito puer membra, quæ antea fuerant incuruata extendit, & de curru, in quo vehebatur, lætus & ouans prosiluit. Quod postquam gens vicina viderat, illico vnanimiter Dominum collaudabnt, & ad proximam Ecclesiam puerum sanatum deuotissimè deducebant. Sed ne tantum miraculum in obliuionem traderetur, in prædicto loco casam quandam comprouinciales erigebant, vbi fideles prætereuntes, in reuerentia istius miraculi post multo tempore oblationes deferebant. Puer claudus & contractus mirè sanatur.

XIII. FVIT item Claudus quidam illis temporibus in Goslaria omnibus notus, qui & ipse pro recuperanda sanitate ad beatum Godehardum se contulerat; & Domino adiuuante, sanitatem recipiebat, adeo vt scabella, quibus antea reptabat, quasi in signum memoriæ, in Ecclesia nostra derelinqueret; & ipse erectus incederet. Hoc plures religiosi illius ciuitatis viri omnibus fiducialiter affirmabant, qui per multa tempora eum claudum agnoscebant. Claudus proserpens erigitur.

XIV. FVIT verò tunc temporis in loco territorio Ecclesiæ nostræ addicto, qui Aulica appellatur, vir tantæ ægritudinis in morbo, qui Fistula appellatur, vt iam omnino vitam desperaret, quia nodum femoris in iunctura ante positum amiserat, & cæteram partem iam se amissurum timebat. Hic ad patrocinium beati Godehardi sese deferri prēcepit, & sanitatem corporis, Deo faciente, recepit. Post hæc nodum, quem antea manu ferebat, in signum miraculi & doni sibi à Domino collati, in Ecclesiam suspendi iussit, ac deinde, lætus & alacer, domum remeauit. Fistula curatur.

XV. CIRCA idem tempus fuit matrona quædam de Heruordensi *loco genita, quæ omnino fuit paralytica & omnibus membris dissoluta, nullum enim membrum ipsi° propriū officium exercuit, sed nec per multos dies adimplere valuit. Hęc maximam partem substantiæ suæ in medicos expenderat, sed per eos sanitatem corporis recuperare non poterat. Audiens verò tantam gratiam per merita beati Godehardi hominibus à Domino concessam, spretis exterioribus medicis, totam se misericordiæ Domini commendauit, & ad patrocinium beati Godehardi deferri præcepit. Quæ, dum aliquanto tempore morā faceret in nostra Ecclesia, tum per orationes fidelium, tum per beati Godehardi patrocinium sanitati est reddita, & omnia membra eius pristino vigori restituta. Hæc posteà frequenter ad limina beati Godehardi peruenit, & pro dono sibi collato, gratias non immodicas Domino persoluit. * *Heruordia.* Paralytica.

XVI. NON multo post tempore venit vir quidam in nostram Ecclesiam, habens filiam valde dilectam, quæ graui morbo laborabat, & iam morti propiabat. Nam gutturi ipsius, ob immensæ magnitudinis, & ex vtraq; parte magni acuminis per sex dies adhæserat, quod nullus extorquere quauis arte valebat. Qui primum medicos in ciuitate nostra tūc temporis commorantes circuibat, & ab eis consilium, quid de filia esset acturus, requirebat. Sed nullum salubre consilium adinueniebat. Destitutus autem omni exteriori consilio ad patrocinium beati Godehardi se vna cum filia contulit, ipsumq; pro ea humillima deuotione implorauit. Factum est ergo, vt ipsa die puella os sine læsione eiiceret, & integram sospitatem recuperaret. Non multo post eodem morbo quidam per septem dies laborabat, & iam certissimè ei mors imminebat, hic veniens ad patrocinium beati Godehardi, statim liberatus est, & in pristinum statum restitutus. Os faucibus implicatum eijcitur.

XVII. CONTIGIT vero circa idem tempus quod Eckehardus quidam de Wigeleue, cognatum quendam suum vi & iniuriosè captiuauit, & contra ius & fas incarcerauit. Qui dum aliquanto tempore in captiuitate detineretur, contigit in ipsa nocte Pentecostes, dum matutinales horæ celebrarentur, vt ad terram se prosterneret, ac patrocinium beati Godehardi pro sua liberatione imploraret. Tandem ab oratione se eleuans, foramen adeò arctum accessit, vt puer triumannorum pertranfire potuisset, sed dum caput applicaret, vt sibi visum est, foramen se dilatauit, & ipse sanus & incolumis pertransiuit. His ita gestis, sine mora omnibus innotuit, captiuum de carcere erupisse & omma euasisse. Statim omnes vnanimiter eum prosequuntur, vias quibus euadere possit, custodiis muniunt, & qualiter eum apprehendant, omnibus modis elaborant: sed, Domino adiuuante, & beato Godehardo, factum est, vt omnium insidias pertransiret, & ipsos cognoscens à nemine cognitus est. Hic sine mora, ad patrocinium beati Godehardi se contulit, & pro sua solutione gratias Domino in Ecclesia nostra persoluit. Captiuus asseritur.

XVIII FVIT verò tunc temporis in Marchia Vngariæ, vir quidam in captiuitate positus, & fortissimis compedibus compeditus, qui nihil aliud sperabat, quam vel omnia sua amittere, vel mortem subire. Ad aures ipsius fama beati Godehardi intonuit, & quanta Dominus pro eius amore operaretur, ipsi innotuit. Mox ad terram se prostrauit, & eius patrocinium deuotissimè implorauit, factum est igitur, vt, ipsa nocte, catena qua ligatus erat, se dissolueret, & ipse de captiuitate, Deo adiuuante, euaderet. Hunc omnes in Ecclesia nostra viderunt, & sic euenisse circa eum, veraciter perceperunt. Alius captiuus liberatur.

XIX. IISDEM verò temporibus, fuit quidam paganus de vlterioribus partibus Sclauiæ captus, & in Haluerbergensi vrbe, incarceratus. Hic, fama reuelante, de patrono nostro audierat, & quanta dominus pro eius amore operaretur quocunque modo, vtpote Paganus, perceperat. Hic quadam nocte mortis timore coactus, inter spem timoremq; pendulus, orationem ex imo cordis ad beatum Godehardum direxit; &, vt sui misereretur, deuotissimè exorauit. Quo facto, sine mora, ex trunco magnæ molis & fortitudinis, quo conclusus fuerat, integro remanente, quasi ex liquida re sine læsione pedes eduxit: & qualiter id sibi accidisset, ignorauit, nec fugam vllatenus iniit. Die verò illucescente, custodes aduenerunt, & non sine admiratione magna eum repererunt. Sciscitantes verò, qualiter id sibi ad inuocationem nominis beati Godehardi accidisset, admirati sunt, dominoque suo retulerunt, & quid deinceps essent acturi quæsierunt. Dominus verò compunctus tanto miraculo, gratiam impendit; ipsumq; captiuum sine læsione abscedere iussit. Quantos verò, & quot incarceratos, & maximis compeditos compedibus Dominus, per patrocinium beati Godehardi, à summa tribulatione absoluerit, longum est, per scripta enumerare; cum quiuis ipsa tormenta in Ecclesia nostra pendentia possit cognoscere. Quapropter non superuacaneum duximus plurima ex his, quæ longa forent scribere, præterire, & ad alia innotescenda transire. Sclauus Paganus mirè solutis cōpedibus, a Domino dimittitur. Captiui multi ope S. Godehardi expediti.

XX. NON multo post ea, quæ diximus, fuit vir quidam habens filium vnigenitum valde sibi dilectum; qui, puerili more, per campos cursitando ludebat: sed fortitudo ad fossatum quoddam veniens, maxima multitudo terræ ex improuiso super eum corruebat. Sed pater hæc ignorans, nec ipsum puerum domi reperiens, vsquequaq; quærebat; nec vllatenus eum inuenire poterat. Vnde factum est, vt quidam diceret, se circa fossatum puerum ludentem vidisse, nec postea comparuisse. Quo audito, pater, cum festinatione, vbi vltimus puerum viderat prędictus vir, transcurrit, & magnam multidinem terræ nouiter corruisse, conspexit. Quo viso, adiunctis sibi plurimis, terram cū magna festinatione retexit, & puerum, nullum indicium vitæ habentem, inuenit. His ita gestis, quia magnæ misericordiæ patronum nostrum beatum Godehardū fuisse audierat, illico preces deuotissimas ad ipsum dirigit, adiiciens, si dominus per merita ipsius vitam pristinam restitueret, ipsum ei in perpetuum seruum offerret. Quo facto, puer vitæ pristinæ restituitur, ac domum simul cum patre regreditur, hunc postea cum patre in Ecclesia nostra vidimus & ab ipso patre, sic de puero euenisse, certissimè cognouimus. Puer aggere obrutus in vitam reuocatur.

Hydropicus sanatus.

FVIT verò tunc temporis vir quidam in loco, qui Mindin appellatur, adeo in hydropisi detentus, vt circiter ân- XXXI.
num in eo laboraret; & iam nihil nisi mortem speraret. Hic, audito nomine beati Godehardi in adiutorium suæ infirmitatis eum suppliciter inuocabat; & vt sibi in necessitate posito subueniret, humiliter exorabat. Factum est ergo non multo post, vt quidam, quem nec antea viderat, nec postea vidit, ad eum intraret; & facta incisione, tantam abundantiam aquæ ex eo manare faceret, quantam vix tina * quis ferre potuisset. Quo facto, adhibitâ curâ, abscessit, nec deinceps comparuit. Hunc postea perfectè sanum vidimus, &, eo referente, sic circa eum euenisse, veraciter cognouimus.

*tunna.

CIRCA idem tempus, per beatum Godehardum, insigne contigit miraculum, & dignum memoria retinendum. XXXII.
Nam quidam peregrinantes de Ruzia ad patrocinium beati Godehardi aduentabant; & in die Palmarum quoddam desertum intrabant. Sed Christiano more cum diuinum officium niterêtur peragere; contigit, vt subito multitudo paganorum in eos irrueret, & quotquot poterât neci traderent. Factum est ergo vt Sacerdos, qui vnà cum ipsis fuerat, occumberet, & per passionem ad Dominum migraret, alii verò videntes se vna interimi, licet inermes, resistere eis parabant; sed propius protectionem beati Godehardi deuotissimè implorabant. Quo facto licet plures & armati cõtra inermes congrederentur, tamen, Domino faciente, pagani se in fugam verterunt, & armà passim à se reiecerunt. Ipsi verò hoc videntes baculis quibus vtuntur peregrini, illos feriebant, & circiter sex morti tradiderunt, victoresq; effecti, arma quæ à se latrones reiecerant, acceperunt, & tam scutum quam gladium in signum victoriæ in Ecclesiam nostram detulerunt.

Ruzzi peregrini à Paganis inuasi se morti eripiunt.

NON multo post hæc contigit, piscatorem quendam cum puero suo Weseram velle transire; & solito more, vti- XXXIII.
litati suæ insistere, sed cum iam ferè medium aquæ obtinuisset, tanta tempestas incubuit, vt vita se euadere dubitarit. Videns autem vẽtum magis ac magis insurgere, magister signum adiutorii populo intonuit; Puero verò orationem ad beatum Godehardum direxit. Factum est ergo, vt magister, qui natare nouerat, confidens in populi adiutorio submergeretur, puer verò natare nesciens, per suffragium beati Godehardi liberaretur.

Puer à submersione liberatur.

TVNC temporis venit quoq; quædam paupercula, in ciuitatem nostram, de Spirensi loco genita, ducens secum XXXIV.
puellulam omnibus membris debilitatam, nec prorsus incedere valentem. Quæ, dum circiter mensem in ciuitate nostra moram faceret, nec vllam gratiam in filia perciperet, tristis in terram suam redire instituit; quia iam se indignam audiri autumauit. Sed cum super ripam Weseræ, in loco qui Munden appellatur, peruenisset, & asinum pastum misisset, filiamq; de curru deposuisset, matre semota, puella, quæ antea fuerat debilis, subito, se erexit, & in hæc verba prorupit, clamabat enim se gratiam beati Godehardi realiter percipere, & illum secum ibi manere. Quo dicto, omnia mẽbra illius, quæ antea fuerant debilia, in naturalem statum sunt restituta; & ipsa integraliter est sanata. Hanc omnes in Ecclesia nostra sanatam vidimus, Dominoq; de dono sibi collato laudes persoluimus.

Puella debilis & claudа restituitur.

FVIT circa principium translationis beati Godehardi quidam Sclauus, lumine longo tempore priuatus, intra pa- XXXV.
ganos moram faciens. Hic audiens virtutes, quas Deus in honore beati Godehardi operabatur, vsq; ad limina eius peruenit, ac patrocinium eius humiliter implorauit. Sed dum communes pro ea in Ecclesia nostra fierent orationes, quia nouiter relicto errore gentilitatis, venerat ad Sacramentum Baptismatis, factum est, peccatis nostris exigentibus, vt sanitatem non reciperet, sed omni spe destitutus post aliquod tempus domum remearet. Contigit autem, vt sui contribules, adhuc in sua gentilitate permanentes, eum visum non recuperasse viderunt, continuo in opprobrium & derisionem eum deduxerunt; scilicet quod Deum suum dereliquisset, & in alio nullam salutem inuenisset. Hæc, & his similia illis exprobrantibus; factum est, vt prædictus vir pudore confunderetur, & mortem sibi inferre niteretur. Sed ô virum omni laude dignissimum, qui & vitam temporalem ei conseruauit, & à morte æterna eum liberauit. Nam dum adhuc in hac intentione permaneret, vt mortem sibi inferret, per merita beati Godehardi est illuminatus, iis, à quibus prius contumeliosa susceperat, deos suos surdos & mutos exprobrabat, & se nunquam ab eis benè quid accepturos verissimè confirmabat, hunc postea in Ecclesia nostra plures viderunt, & eum fuisse illuminatum verissimè cognouerunt.

Sclauus neophytus à cæcitate vindicatur.

Pagani neophyto cęco insultantes.

CONTIGIT vero non multo post, quendam de Polonia ad Patrocinium beati Godehardi aduentare; sed dum iam XXXVI.
ostium nostræ Ecclesiæ niteretur introire, subito à maligno spiritu est raptus, & ad terram, horribili modo, deiectus, qui dũ in Ecclesiam vi duceretur, & ad tumbam beati Godehardi applicaretur, tanto furore cœpit debacchari, vt quis posset admirari. Tandem corpus beati Godehardi ad eum defertur, & signo sanctæ crucis benedicitur; & sine mora, statim cum indicio magni fœtoris, liberatur.

Obsessus sibi redditur.

FVIT verò tunc temporis in Traiectensi Episcopatu, vir quidam arti mercatoriæ deditus, qui frequenter mare XXXVII.
transiuit; & quæ sibi necessaria erant, conquisiuit. hic quodam tempore maxima tempestate in medio mari deprehenditur, ab omnibus conclamatur, & nil iam, nisi vltimus vitæ terminus timetur. Tandem finito aliquanto tempore, resumptus viribus animæ, auxilium beati Godehardi implorabant, & argenteam nauim delaturos, si euaderent, deuouerunt: hos in Ecclesia nostra nauim argenteam deferentes postea vidimus, & sic eis euenisse verissimè cognouimus.

Tempestate erepti nauem argenteam vouent S. Godehardo.

CONTIGIT etiam tunc temporis in Hollandia, quod quodam tempore mare per inundationem influxit; & XXXVIII.
infinitam multitudinem populorum submersit. Hoc quidam percipientes, in basilicam quandam in honorem S. Mariæ dedicatam sese receperunt; in qua mortem se euasuros sperauerunt. Sed cum iam mare magis ac magis effluereret, & iam ipsum murum basilicæ impingeret, videntes se nõ posse euadere, auxilium beati Godehardi implorauerunt, quod statim euidenter perceperunt. Nam continuo mare ad solitum locum relabitur, & ne deinceps locum habeat euagandi, diuinitus inhibetur.

Hollandi ab inundatione maris S. Godehardi intercessione liberantur.

FACTVM est igitur vt Dominus noster patrocinium beati Godehardi nobis non tantum in terris ostenderet, sed XXXIX.
etiam in mari certissimè manifestaret: nam, quot naues in magna tempestate deprehensas Dominus per eum liberarit, testantur adhuc cereæ naues in Ecclesia nostra pendentes. Circa idem tempus Lotharius Imperator Romanorum legatos suos, scilicet Eilbertum Præpositum Goslariensem fratrem nostrum, ad Imperatorem Cõstantinopolitanum dirigebat, & antiquum fœdus Imperatorum, quod iam penè neglectum fuerat, inter ipsos reparabat. Hic dum mare transiret, & iam prospero cursu pergeret, cõtigit, vt quidam famulus ipsius resupinus de puppi caderet, & longo tempore sub vndis maris existens, nulli appareret. Factum est ergo, dum ab vndis maris esset absorptus, & omnis vox esset interrupta, sola intentione, qua poterat, patrocinium beati Godehardi implorabat, & vt eum à mortis periculo liberaret, deuotissimè rogitabat. Eo sic cogitante, apparuit ei quidam canuta facie; educensq; in superficiem maris, quod ante non nouerat, docuit natare. Videntes autem qui in naui fuerant, velum relaxabant, & minori naui, quæ eos comitabatur, vsq; ad eum peruenerunt. Sic prædictus famulus à morte, iam penè absorptus, eripitur, & miro modo vitæ restituitur, hunc omnes postea in Ecclesia nostra vidimus, & circa eum sic euenisse, veris assertionibus cognouimus.

Nauffragi & naues conseruatæ multæ.

Lotharius Imp. Eilbertum & alios mittit Constantinopolim legatos.

Ex vndis eripitur submersus.

NON

XL. NON multo post tempore contigit, in Vngaricis regionibus celebrari miraculum & dignum memoria retinendum. Nam Comes quidam illius regionis, filium habuerat, in quo omnem spem temporalem & fiduciam posuerat. Contigit verò eum ægrotare, & iam vsq; ad mortem periclitari. Factum est igitur, dum omnes solicitè, nocte dieq; circa eum vigilarent, & inter spem timoremq; hæsitarent, vt puer morti appropiaret; & quadam die, circa horam primam expiraret. His ita gestis, dum omnes luctum lamentaq; geminarent, & quæ exequiis erant necessaria præparārēt, forte quidam vir de Bauarica regione aduenerat; qui & ipsum puerum de sacro fonte leuauerat. Hic igitur videns incomparabilem dolorem patris, & matris; misertus eorū, cœpit eis nomen beati Godehardi intimare; & quantam gratiam fidelibus in eum sperātibus dominus administret, deuotissime annunciare. His auditis, sine cunctatione pater & mater, firma fide ad terram se prosternunt, misericordiā beati Godehardi deuotissimè implorant, seseq; deuouebant, cum suis oblationibus ad limina ipsius iter instaurare, si ad pristinam vitam per eius patrocinium filium suum possint recuperare. His finitis, iam vespertinū tempus aduenerat, cum insperato modo, puer ad vitam pristinam redit; &, quod mirabile dictu est, sine indicio læsionis, de lecto surrexit ægritudinis. Votum verò quod prædictus pater & mater fecerant, sine mora adimpleuerunt, & oblationibus non modicis limina beati Patroni nostri Godehardi visitauerunt. Nos in Ecclesia nostra honorificè suscepimus, & sic eis contigisse, veraci relatione cognouimus.

Comitis filius in Vngaria è mortuis suscitatur.

XLI. CIRCA idem tempus, dum tanta miracula per beatum Godehardum florerent, contigit duos viros, nimia potatione ingurgitatos, ciuitatem nostram exire, & ad proximam villam velle transire; qui, dum medio campo consisterent, alter ipsorum fortuito os inuenit, quod subleuans manu, per horam secum portauit. Sed videns ipsum os esse magnæ pulchritudinis, & candoris, dicebat se terram velle pertransire, & omnibus notificare, se Reliquias nostri Patroni deferre; & sic temporale lucrū, vt cæteri, acquirere. Quo dicto, sine mora in vesaniam raptatur, & loquens aliena, domum deducitur, & mala morte proxima nocte traditur. His auditis, maximus terror hominibus incutitur, &, si qua dubietas cordibus ipsorum de nostro patrono irrepserat, omnimodo ab eis eliminatur.

Abuti volens osse pro reliquiis subita morte petit.

XLII. FVIT temporibus illis, pistor fratrum, Adelwardus nomine; ad cuius hospitium peregrini quidam declinauerunt; & hospitali more, secum nocte permanserunt: qui, dum equos suos ad aquandum deducerent, filium eius adhuc paruæ ætatis existentem, caballo imposuerunt, & patre ignorante, abduxerunt: qui dum equos adaquarent fortuito infans exterritus, de caballo præcipitatur, & sine mora vndis subducitur; &, vbi quæri possit, ab omnibus ignoratur. Sed peregrini non valentes puerum reperire, tristes domum redeunt, patriq;, quæ circa filium euenerant, nunciauerunt. Quibus auditis, pater concitò surgit, tristis ad aquam pergit, nauimq; longè subductam requirit; &, vt filium saltem mortuū, cum non posset viuum adinuenire, elaborauit. Qui dum diu puerum in loco, vbi deciderat quæreret, nec inueniret, ad terram rediit, vncum quæsiuit; quo reperto, post longum spacium puerum inuenit. His ita gestis, in domum proximam declinauit; ibiq; puerum mortuum & nullum vitæ signum habentem, deposuit, tantumq; quæ exequiis necessaria erant, solicite quęsiuit. Dum hæc sic geruntur, mater pueri cum cæteris mulieribus, quarū magna multitudo domum introierat, misericordiam domini & beati Godehardi implorat; &, vt solitam benignitatem, quam omnibus impenderat non sibi subtrahat, deuotissimè exorat. Quid plura? post paruum tempus, puer singultus emittit; aqua, quam hauserat, cum magno impetu effluxit; & tandem vitam pristinam resumpsit.

Puer suffocatus aquis in vitam redit.

XLIII. FVIT verò circa idem tempus vir mercatoriæ arti deditus, qui negociando, diuersas terras pertransibat, & sibi suisq; victum difficulter quærebat. Contigit verò, vt hic quodam tempore causa mercaturæ, cum pluribus aliis inter paganos tenderet, & possessionem non modicam secū deferret. Qui, dum prosperato itinere, pergerent, contigit eos vastam solitudinem introire: vbi non modicam multitudinem paganorum obuiam habuêre. Quod videntes, ad arma concurrerunt, defensacula vndiq; sibi præparauerunt, sed multitudini illorum resistere non valuerunt. Tunc verò quosdam ex ipsis morti dederunt, quosdam corpore truncauerunt, quosdam captiuauerunt; bonaque ipsorum diripuerunt. Inter quos captiuos, prædictus vir, cum quodam puero, filio fratris sui, captiuatur, & in remotissimas partes paganorum deducitur; ibiq; in quadam Insula Oceani detinetur: vbi, cum diu seruili opere desudaret, & vnde eriperetur non haberet, vtpote vbi mare vndiq; circumflueret, nec vllum locum euadendi inueniret, tandem se ad patrocinium beati Godehardi Patroni nostri iturum deuouet, si, per quam partem manus illorū effugere posset, illi demonstraret. His ita gestis, quadam die, dum circa littus maris angustiando & orationibus insistendo deambularet, cymbam paruam in obscuro loco littoris inuenit, in qua se mare transire, Dei adiutorio speraui; sed, quia mare magnum, & spaciosum fuerat, tantum periculum attentare trepidabat, seseq; orationibus beati Godehardi commendabat, petens vt animo illius inspiraret, & cōpetentia adminicula ei præpararet, quibus tantam tribulationem euadere potuisset. His finitis iam nox aduenerat, cum iam fixo animo se ad fugam præparabat, acceptis igitur duabus lanceolis, & panno de culcitra abstracto, ad puerum filium fratris sui, qui in alia villa morabatur pergit: eumq; secum abduxit. Sed cum ad nauiculam venisset, lanceolis & panno, quem secum portauit velum adaptauit, & sic se misericordiæ Domini & Beati Godehardi commendauit. Quod videntes qui in Insula commorabantur, eum subito prosecuti sunt: sed, Deo adiuuante, eum comprehendere nequibant; domumque, infecto negocio, remigabant. Prædictus verò vir, non immemor quod Deo vouerat, sine mora ad patrocinium beati Godehardi veniebat, & lanceas & pannum, vnde velum fecerat, in memoriam tanti miraculi, in Ecclesia nostra suspendi rogabat.

Negotiator captiuus spes euadit.

XLIV. INTEREA dum hæc agūtur, & memoria beati Godehardi valde celebris habetur, contigit, vt Archiepisc. Coloniensis Henricus † nomine, ciuitatē nostram, cum non modica manu cleri & populi pertransiret: & prædicta miracula, quę per eum fiebant cognosceret. In cōuentum ergo fratrum nostrorum venit, & fraternitatem nostrā deuotè postulauit. Ad cuius fraternitatis confirmationem, dari sibi de reliquiis beati Patroni nostri humiliter petiit, promittens se facturum, vt in omni diœcesi sua celebris haberetur, & congruus honor tanto viro exhiberetur, sed quia petitionem eius propter absentiam Pastoris nostri distulimus; & tunc nos satisfacturos voluntati ipsius polliciti sumus, vbi is adesset: non multo post tempore dominus noster cum in conuentu nostro hæc supradicta cognouisset, petitioni Archiepiscopi acquieuit, & quæ ab eo postulabantur sibi donari præcepit. Mox Abbas beati Godehardi ad eum cum portione reliquiarum † transmittitur, & ab eo deuotissimè suscipitur. Hanc v. portionem Archiepiscopus in terram Natiuitatis suę, id est, in Sueuiam transmisit; ibiq; quandam Ecclesiam in honorem ipsius instituit: ad quam, cum multi confluerent, & certissimam salutē animę & corporis recuperarēt, contigit, vt quadam die, cuidam viro manus abscinderetur, adeo vt nec minima particula corpori iungeretur. Videns ergo mancum se esse, manum arripuit, & fide firmata eam ad truncum apposuit, & ad eandē Ecclesiam ad patrocinium beati Godehardi migrauit; vbi, cum deuotissimè misericordiam ipsius imploraret, contigit celeberrimū miraculū, vt trunco manus conglutinaretur, & in pristinū statū restitueretur.

† Henricus I. Coloniēsis Archiepiscopus, successor B. Engelberti.

Petit fraternitatē cum clero Hildenesheim. & reliquias Sancti.

† Reliquiæ S. Godehardi in Sueuiā translata.

XLV. VIR quidam honestus, cuius nomen Theodoricus, ciuis Hildeneshemensis. Hic deuotione singulari motus, fraternitatem * instituit S. Godehardi; & in eam vtriusq; sexus homines induxit; tribuens de propriis eleemosynam pauperibus satis largam in festo dicti Pontificis Godehardi. Hic in infirmitate quadam decumbens, quæ phthisis dicitur, à medicis derelinquitur, qui de vita ipsius desperabant. Quadam verò nocte, quæm pene duxit insomnem, apparuit ei S. Godehardus in habitu pontificali, dicens ei. Quid agis frater? Cur sic iaces prostratus in lecto? Cui Theodoricus respondit. Infirmitate grauatus valida, aliud non possum, quam prostratus iacere; sed rogo te, sancte Gode-

* Fraternitas S. Godehardi instituta à Theodorico Hildeneshem.

Theodoricus hic à phthisi curatur ope S. Godehardi.

S. Godehardus laudat institutum fraternitatis honori suo dicatæ

Godeharde, ora pro me. Cui vir sanctus ait. Surge in nomine Domini nostri IESV Christi; & vade ad Ecclesiam, & ostende te Confratribus tuis; & dic eis, quia Dominus IESVS meritis meis te sanauit, eo quod honorem meum in hac infirmitate procurasti. Insuper dic eis, vt in inceptis perseuerent; & ego frater eorum ero, & defensor ab hoste maligno, & ab omnibus, quæ honorem, vitam siue famam eorum lædere possunt; & apud Deum intercessor ero semper. Dictus autem infirmus surrexit; & quod ei dictum fuerat fecit. Et omnes qui audierant verbum Deum, benedicebant, qui talem eis patronum dedit, & intercessorem. Dictus autem Theodoricus sanus & hilaris postea vixit annis multis; deuotè Deo & S. Godehardo se commendans.

Excerptum ex Cæsarii Illus. mirac. lib. 8. c. 77. vbi & huius visi exegesis.

MAGISTER Ioannes Decanus Aquensis, cum scholaris esset, tam grauiter, quodam tempore infirmatus est, vt XLVI. confessus & inunctus nihil ei nisi mors videretur. Qui cum materia rapta esset in cerebrum, solus iacens in excessum venit. Viditq; homines ignotos intrare, qui lances, quas manibus portabāt cum lignis breuibus & quadratis ante ipsum ponebant. Stantibus ipsis ex vna parte lectuli contemplatus est introire tres inclitos Confessores; sanctum videlicet Martinum Turonensem, & S. Godehardum Episcopum Hildeneshemensem, beatumq; Berwardum; qui eum parte ex altera circumstetêre. In quorum conspectu puer Ioannes vni imponitur lanci, & ligna ponderis alteri. Cumq; eleuata statera iuuenis æger minus habens inuentus est, prædicti Confessores puerulum parum & mendicum sinui eius imposuerunt, qui simul lancem aduersam mox suspendentes, lignis grauiores apparuerunt. Statimq; Ioannes qui mihi hanc visionem retulit in sudorem erumpens crisin fecit, & de eadem infirmitate citius conualuit.

Ioannes Decanus post Aquensis admirabili viso sanitatem recuperat adnitente S. Godehardo.

Habetur in editione Lipsiensi

ANNO Domini MCCCXXXVIII. Ciuitas Patauiensis per Episcopum Patauiensem, cum multa armatorū militia, XLVII circumuallata sic artabatur, quod populus in ea desperatus de salute, hostibus suis se tradere volebat. Contigit autem vt vnus inter eos in S. Godehardo specialē gerens fiduciam, & inter maiores ciuitatis residens, diceret. Audiuim⁹ multa pietatis insignia, & salutaris auxilii augmenta non modica, quomodo S. Godehardus: de hac nostra ottus terra, imo de hac nostra diœcesi multis adstitit tribulatis, & consolationem ab eo receperunt, vt multis est notissimum. Expedit ergo, vt & nos ipsius adiutorium imploremus, petentes deuotione supplici, vt clementer nobis adsistat, & iram Dei, per quam meruimus hanc calamitatē, à nobis auertat. Placuit omnibus verbum senis, eiusq; omnes fauent hortamento. Et votum fecerunt vnanimiter, se missuros aliquot de ciuibus cum oblationibus, petentes, vt eis in necessitatibus suis citius subueniret. Quo voto emisso, mira celeritate se inuenerunt consolatos. Nam generosus Princeps Dux Bauariæ veniens, negocium intercepit; & inter Episcopum Patauiensem, & ciues dictæ ciuitatis ab eo obsessæ, treugas * constituit amicabiles. Sicq; Præsul abcessit, & ciuitas pace gaudebat insperata. Sed & medio tempore dictus Dux Bauariæ pacem inter Episcopum & ciuitatem inceptam confirmauit, & cōsolationem hominibus vtriusq; sexus condonauit. Ciues autem dictæ ciuitatis, suos vt vouerant ad sepulchrum miserunt S. Godehardi cum votiuis oblationibus, omnibus ibidem narrantes qualiter suffragiis S. Godehardi de tribulatione maxima subito fuerint liberati.

Vouet Sancto munera Liberatur interuentu Ducis Bauariæ. * inducias. Votum exsoluit.

APPENDIX, ALIA MANV ASSCRIPTA DE MIRACVLIS QVÆ AD RELIQVIAS SANCTI longius exportatas acciderunt.

SCIRE volentibus quæ & quanta Dominus operari sit dignatus per merita beati Godehardi. Cùm essemus in Pro- XLVIII uincia Traiectensi, & in aliis locis, habentes nobiscum venerabiles reliquias eiusdem breuiter quædam annotare curauimus.

Abbas in Dokkige.

HONORABILEM virum Abbatem in Dokkige curatum euidenter cognouimus à fluxu sanguinis, quo vehementer & diu laborarat. Per eius suffragium matronam etiam quādam, quæ bona spe easdem reliquias ad se deferri petiit, Deus à duplici morbo, hydropico & podagrico, quo diu laborauerat, eiusdem meritis potenter atq; euidenter liberauit.

Zonæ reliquiis Godehardi applicatæ miraculorum effectrices.

PRÆTEREA Zonis multorum applicatis ad easdem reliquias, & appositis ad membra infirmorum tam secularium, quam claustralium, in continenti sanitatem recepisse noscuntur; videlicet infirmi laborantes quotidiana, tertiana, dolore capitis, oculorum, dentium, & cæterorum membrorum.

Fraternitas S. Godehardi offerti solita.

CVM fœmina quædam inter conciues suos, dantibus nobis confraternitatem, more solito ab ipsa se absentaret, monita per visum à beato Godehardo, cur se tanto beneficio priuati vellet? & respondens, quod nihil offerendum haberet, audiuit, vt mane surgens, quicquid apud se inueniret offerret; sicq; in bursa duos grauioris monetæ nummos inueniens, obtulit, & idem factum coram populo professa est.

VIR etiam quidam magnus nobis valde contrarius existens, cum populum à nobis auertere, & negocium nostrum omnimodis impedire studeret, ita per inflationem gutturis, & totius capitis periclitari cæpit, vt iam penè deficere videretur; donec in se rediens & corde pœnitens, per suffragia beati Godehardi ab ipsius mortis faucibus liberatus, errorem suum deuotione & humilitate correxit.

QVÆDAM mulier cum geminos generaret, vno soluta ante nostrum aduentum, tribus diebus, cum altero periclitari cæpit, sed nobis aduenientibus attactu zonæ sanctis reliquiis appositæ, in continenti enixa dignoscitur.

Ecclesia Traiectensis restituitur diuinis.

PRÆTEREA, cum maior Ecclesia Traiectensis suspensione diuinorum longo tempore nimis turbaretur, propter aduentum reliquiarum beati Godehardi, diuina resumpsit; & toti populo ingens gaudium tribuit in dedicatione, videlicet ipsius Ecclesiæ.

AN. 440.

VITA S. HILARII EPISCOPI ARELATENSIS, PROVT EAM, EX MEMBRANO PERANTIQVO MS. EDIDIT VINCENTIVS BARralus in Chronologia Lermensi, cuius Authorem esse putat Honoratum Episcopum Massiliensem.

5. MAII.

BEATISSIMI Hilarii, peculiaris Patris, monachi singularis, Antistitis summi, Doctoris eximii, piiinstitutoris, vitam sermone perpauculo, sensu tenui cupiens demonstrare, dignum duco nequaquā more rhetorico patriam parentesq; memorare: quia etiam ipse laudibus venerandi propinqui pręcelsum stemma natalium maluit, nobilitare, dum respuit, commendare dum præterit, dilatare dum spernit. Ego, vt sic dixerim, huius rei non immeritò arbitror faciendam esse iacturam, vbi præconiorum sublimium redundat vbertas, more artificum, qui composituri diadema preciosum, sic eligunt veras gemmas, vt aliquas tamen præterire noscantur industria. Ita & ego, vbi virtutum exuberant margaritæ, nonnullas necessariò prætermittam, vt vitæ illius preciosissimum monile, non humanis gemmis ornatum, sed supernis virtutibus splendidum, sine artificis manu preciositate propria commendetur. Proinde infantiæ eiusdem rudimenta, indolem pueritiæ, iam tunc quæ subsecuta sunt, niuei nitorem vultus, fulgentium luminum facies, modestum gradientis incessum, ignem flagrantis ingenii, inexhaustum facundiæ fontem, philosophicorum dogmatum anteriorem, veramq; doctrinam, præclara posteris I. PRÆFAT.